DE

CARMINIS LUCRETIANI

LIBRO PRIMO

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

HENRICUS STUERENBURG

HILTPERTHUSANUS

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXIV

CAPVT I.

Praemonita.

Carmen Lucretianum, quale exstat in libris manu scriptis, tribus laborat mendorum generibus, quorum primum redit ad ipsam primam carminis a poeta neque editi neque absoluti editionem, alterum ad eorum operam, qui primis post Christum natum saeculis verba Lucretiana consilio mutaverunt, suos ipsorum versus Lucretianis addiderunt, Lucretianos vel singulos vel complures alienis locis repetierunt. Tertio genere omnia comprehenduntur quae redeunt ad fata, quibus libri manu scripti omnes obnoxii esse solent depravata scriptura, schedarum versuumque ordine turbato, verbis versibus schedis omissis, et quae reliqua sunt varia depravationis genera. Quae tria mendorum genera (quarti enim, quod est interpolationis quae dicitur Italicae virorum doctorum saeculi XV, consilio hic rationem non habeo, quippe quod, quantum ad fidem integritatis, non solum librorum mss. integriorum auctoritate cohibeatur, verum etiam emendandi studiis aptius adiungatur quam depravandi neglegentiae), quod nunc distinguere et paucis exceptis locis, qui cui generi tribuendi sint dubitari possit, certis finibus circumscribere licet, plane debetur Carolo Lachmanno. Is enim difficultates ad carminis editionem redeuntes primus aperuit, versuum subditiciorum numerum haud exiguum eiecit atque, quibus nos subsidiis niti oporteat ad verba Lucretiana integritati restituenda, demonstravit. Imprimis eum librum ms., e quo et oblongus cum Italicorum archetypo et quadratus cum schedis descripti sunt, paene nobis restituit, ut, si illum ipsum haberemus, emendandi praesidio uteremur certiore et simpliciore, non integriore. Atque non solum fundamentum Lachmannus iecit emendandi carminis Lucretiani, sed hoc fundamento nisus ipse quaestionum magnam partem absolvit.

Quodsi iure meo contendo Lachmannum carminis emendandi

iustam viam munivisse, eorum qui post illum in hoc poeta versentur esse apparet, hac via incedendo eis quaestionibus, quas ille aut non aut minus feliciter tentaverit, absolvendis operam dare. Atque qui bene versatus in carmine Lucretiano dissertationum Lucretianarum, quae his viginti annis post editionem Lachmannianam prodierunt, multitudinem pertractaverit vel ea perlegerit, quibus nuper Fridericus Pollius, vir Lucretianae dicendi consuetudinis peritissimus, illarum summam in conspectu posuit Philologi vol. XXV et XXVI, doctrina ille sane usus et iudicio, ei haud dubie copiae quidem scriptorum fructuum multitudo non respondere videbitur: haud raro enim fuerunt, qui neque Lachmanni neque Lucretii verbis intellectis illius iudicium repudiare, huius verba emendare posse sibi viderentur. Verum, nisi qui Lachmannum carmen omni ex parte integritati restituisse existimabit, esse aliquid etiam post Lachmannum ad emendandum carmen Lucretianum profectum concedet, non solum, ut Lachmanni erroribus patefactis quaestiones ad integrum revocarentur, sed etiam, ut haud raro felicius tentarentur.

Quod autem summas Lachmanni rationes sollicitari posse negavi, illud quidem haud ignoro, fuisse, qui codice Monacensi Victoriano Lachmanniana emendandi praesidia aliquantum labefactari opinarentur; sed tantum abest, ut hoc libro ms. Lachmanni iudicium infringi, ut eo magis confirmari et sanciri existimem atque aegre me ferre profitear, quod eorum, quibus librum Victorianum excutere contigit, nonnulli Lachmanno quodammodo opprobrio vertebant, quod pauca, in quibus eum errasse hoc libro iam apertum fieret, non divinasset, illud vero laude non dignum habebant, quod, quamvis librorum mss. saeculi XV optimos non cognovisset, tamen in universum et de doctorum Italorum Marullique de emendando carmine meritis et de illius librorum mss. generis fide et auctoritate rectissime iudicaverat. Optime de codice Victoriano disseruit Hermannus Sauppius in ind. lect. Gott. anni 1864/65 expositis rationibus, quae inter Marulli emendationes et Victoriani correctiones (quas ab ipso Marullo scriptas esse veri simillimum est) intercederent. Sed ipsi codici, quamvis nonnulla, quae a Marullo emendata esse existimabantur, iam emendata exhibeat (nimirum ab antiquiore quodam illius saeculi viro docto), Sauppium nimium tribuere non animadverti.

Idem postea Munro uberius exposuit p. 11 sqq. 27 (ed. 2); neque ab eis dissideo, quae Eduardus Goebelius cum de codice

Victoriano (Quaest. Lucret. crit. ed. Salisb. a. 1857) tum de universis codicum Lucretianorum rationibus (Mus. Rhen. t. XV p. 401 sqq.) disputavit, nisi quod eius sententia a Lachmanniana tantum mihi, quantum ipsi, non recedere videtur. Tria quidem archetypi apographa fuisse et horum primum (oblongum) 'ex hoc archetypo factum esse' Lachmannus statuit; sed cum alterum oblongo ab omni parte simillimum neque tamen ex oblongo ductum esse censeat (p. 5), nescio an hac liborum necessitudine simile quiddam atque Goebelius significaverit. Christium (Qu. Lucr. ed. Monach. a. 1855) in aestimandis Victoriani virtutibus modum excessisse idem iam Goebelius exposuit. Sed quid dicamus de Rudolfo Bouterwekio, cui etiam post Goebelii curas 'hic codex nec ex vetere impresso nec ex eodem cum Leydensibus fonte fluxisse, sed propria quadam indole uti videtur' in 'Lucr. quaest. gramm. et crit.' anno 1861 editis, quique huius iudicii argumento gravissimo esse voluit vocabula, qualia sunt *e ex et id ut est si* et pauca maiora, quae a Leidensibus omissa in Victoriano (et praeterea in aliis saeculi XV codicibus compluribus!) exstant, nimirum doctorum Italorum coniectura suppleta. Et ne in his quidem, quae in Victoriano exstare testatur, ubique ei fidem habeo, cum in Victoriano V, 586 [1]) *flammae* suppletum esse (p. 44), quod Lachmannus coniectura haud ita vulgari assecutus est, nullo modo mihi persuadere possim. [2]) Anno 1865 ('de cod. Vict.') eidem Bouterwekio codex Victorianus quidem 'sine dubio ex eodem quo Itali fonte fluxisse atque (p. 8) a quodam lectore interpolatus esse', sed nihilo minus 'sua indole uti nec cum aliis quot extant nec cum editione ulla vetere prorsus consentire' videtur. Atque post Lachmanni curas restare censet, ut non solum codices nondum cogniti consulantur, sed etiam 'primae huius poetae editiones Brixiensis,

---

1) Numeris utor Lachmannianis.

2) Ne hoc temere iudicasse viderer, Carolum Halmium adii, ut de hac aliisque codicis Victoriani scripturis, quas aut non cognoveram aut a Bouterwekio perperam vel minus accurate propositas esse suspicabar, me certiorem faceret: neque vir clarissimus, qua est singulari humanitate, petenti mihi defuit. Qui quod de hoc loco testatur: 'der Codex *ignes*, aber von 2. Hand auf Rasur (für *flammae* in der Rasur nicht Raum genug'), de eo Bouterwekius sic narrat: 'extant verba in Vict. a Leydensibus omissa haec: — *flammae* V, 586.' Halmio gratias hic ago quam possum maximas, item Friderico Ritschelio, qui precibus meis accessit, si modo in tot tantisque huius viri de me meritis tantillae rei mentionem fecisse operae pretium est.

Aldina, Bononiensis, Iuntina accuratius ad illa carmina corrigenda adhibeantur' (p. 1). Operam sane et oleum Lachmannus perdidisse videtur.

Eorum, qui saeculi XV codicibus aliquantum sive praeter sive contra Leidenses ad Lucretii emendationem profici posse existimarent, ante omnia erat, codice uti Florentino 30 Nicolai Nicolì, quem exemplari a Poggio in Italiam allato proximum esse consentaneum est. Atque etiamsi, quantum ex huius codicis scripturis a Munrone allatis concludere licet, eum reliquorum saeculi XV omnium parentem fuisse haud ausim contendere, tamen eum in illius generis integerrimis esse non minus apparet, quam primam neque eam exiguam interpolationis operam iam sive huic codici ipsi (neque vero de recentiore eius correctore loquor) sive eius parenti dicatam fuisse. Huius igitur generis libros mss. quamvis plane neglegendos esse neque ego contendam neque alius quisquam unquam contenderit, tamen, quantum ad integritatis fidem (de qua hic loquor, non de emendandi opera), plus illis concedere nequeo, quam firmari eis plerumque oblongi scripturas, nisi quod interdum faciat cum quadrato. Atque hoc ipse Lachmannus concessit p. 5.

Quod ad reliqua duo quae dixi mendorum genera attinet, fuerunt, qui versuum spuriorum et partium extra carminis continuitatem scriptarum numerum vel augeri vel imminui vellent, non fuerunt, qui de genere dubitarent universo. Neque ego his quaestionibus quicquam aliud sequor, nisi ut libri primi menda adhuc aut latentia aut frustra tentata aperiam, apertis eam quam postulant emendationem afferam, aut de emendatione desperandum esse demonstrem. Sane vero, quoniam horum partem maximam redire apparebit ad primam illam carminis editionem Tullianam, hoc est ad ipsius carminis a poeta non absoluti condicionem, eis quidem facile videar Lachmanni de universo carmine iudicium eversurus esse, qui hunc censuisse sciant 'Lucretium inter expoliendum carmen suum decessisse absoluto tantum libro primo' (p. 62); sed iudicent illi velim, num eisdem argumentis, quibus ne librum primum quidem e ceterorum societate excipiendum esse probem, illud quod de carmine universo Lachmannus primus proposuit, non multo magis confirmare videar.

CAPVT II.

De mendis ex antiquissima carminis recensione repetendis.

1.

De carminis prooemio v. 1—145.

'Quapropter ne te in promissis plura moremur', iam de eis libri primi partibus, in quibus editionis Tullianae vestigia inesse censeam, sententiam meam aliis diiudicandam proponam. Ac primum quidem inquirere me in carminis prooemium oportet, quoniam, quid de eo statuendum sit, plurimum interest non solum ad librum primum, sed ad totum carmen recte aestimandum. Nec sum nescius de eodem prooemio nuper (Philol. XXIII p. 456 sqq.) Briegerum, nuperrime autem Iessenum ('Ueber Lucr. u. sein Verhältniss z. Catull u. Späteren' in 'Jahresb. d. Kiel. Gelehrtenschule' a. 1872 p. 20 sqq.) disputasse. Sed cum in mea ipsius argumentatione, quamvis proficiscatur ab eisdem prooemii partibus, neque illorum opera nitar (nam iam ante hos quinque annos, ubi Briegeri annotationes nondum mihi innotuerunt, hanc quaestionem institui), neque idem atque illi consequar, primum mea ipsius utar via et ratione, deinde qua de re mihi cum illis conveniat, quidve contra utrumque mihi dicendum videatur, exponam. Verum ne quis me iam illustre illud carminis Lucretiani exordium dilaceraturum esse credat, immo inde exordiar, ut hanc primam prooemii partem a suspitionibus a Briegero et Spengelio motis vindicem.

Briegero enim (l. s. s. p. 455) valde expers rationis esse illud videtur, quod in primis carminis versibus, ut scribuntur in exemplaribus Lachmanniano et Bernaysiano, verba *per te quoniam genus omne animantum concipitur* e. q. s. referantur ad concelebrandi verbum; quare gravius post *concelebras*, lenius post *lumina solis* interpungendo illa verba ad ea referenda esse contendit, quae sequantur v. 6. In hoc, quem efficit, sententiarum nexu sane explicatione egere videatur, cur venti, nubila, tellus, mare, caelum, res igitur inanimatae, hanc ob causam Veneri obsequi dicantur, quod animalia per Venerem concipiantur. Atque cum, quae sequuntur v. 10, adiungantur explicandi particula *nam*, illud ipsum iam explicari consentaneum est, neque vero, ut Brie-

gero videtur, partem tantum priorem eorum, quae antecedant v. 4 sq. *per te quoniam — concipitur*; praesertim cum v. 10 ad partem alteram respiciatur verbis *nam simulac species patefactast verna diei* e. q. s., i. e. simulatque illa, quae dixi, inanimata tibi obtemperaverunt. Quid vero? quod iam versibus, quibus illud explicari expectamus, idem invertitur. Vix enim aptius diceretur 'quoniam pluit, domi remaneo; nam simulatque domi remansi, pluit' quam: 'quoniam per Venerem animalia concipiuntur, Venus est veris auctor, nam simulatque ver iniit, per Venerem animalia concipiuntur'. Briegerum quidem vulgatam horum versuum distinctionem offendisse, quod concelebrandi verbo notionem subiceret a vulgata alienam 'Venus besucht Land und Meer', iam Susemihlius, qui cum Briegerianis suas de Lucretio meditationes consociare solet, animadvertit; verum cum Briegeri interpretationem eis quae sequantur de Veneris adventu et initu vv. 7 et 13 firmari dicit, errat: nam in huius verbi usum inquirenti Noniana quidem interpretatio (p. 274 'concelebrare dicitur commovere. Lucr. l. I' et q. s.) non satisfaciet, sed duo loci occurrent, quibus idem, quod hoc loco sententiarum nexu flagitatur, 'du erfüllst, belebst', concelebrandi notione significari apparet. Alter item Lucretianus est II, 344 sq.:

et variae volucres, laetantia quae loca aquarum
concelebrant circum ripas fontisque lacusque,
et quae pervolgant nemora avia pervolitantes;

alter Plautinus Cas. IV, 3, 2:

Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam hymenaeo!

Contra (quoniam, quibus locis carmina, ut Lucr. V, 1381, dies festi, triumphi, convivia concelebrari dicuntur, hoc verbum a propria notione recedit) locum nullum novi, quo nihil nisi 'visere, adire' significet. Verissime igitur Venus mare terrasque concelebrare i. e. numine suo complere dicitur, quoniam per eam omnia concipiuntur.

Sed restant Briegeri verba vel maxime ad hanc, in qua versamur, disputationem pertinentia haec: 'So lange man, wie Lachmann und Bernays offenbar thun, indem sie einen punct hinter *solis* setzen, den kausalsatz *per te quoniam — solis* auf das vorhergehende *caeli subter — concelebras* bezieht, kann man gar nicht darum hin kommen, Bormans (Bulletins de l'acad. royale de Belgique XVIII, 2) recht zu geben, dass 6—9 unmöglich ursprünglich vor 10—20 gestanden haben können': quibus Suse-

mihlius haec addit: 'seltsamer weise will Bormans übrigens jene verse 6—9, statt unmittelbar hinter 20, erst hinter 23 einrücken.' Hac autem a Susemihlio proposita quaestione, utri loco hi versus aptius inserantur, diiudicanda supersedere possumus. Satis enim mirari nequeo, quod neque Bormansius, neque illorum alteruter minime posse illos versus post v. 5 desiderari animadverterunt. Quid enim, quod his versibus loco suo motis primi quinque versus plane in aëre, ut dicere solemus, suspensi sunt, cum illam Veneris invocationem apodosim excipere prorsus necesse sit? An undecim vel quattuordecim versus a v. 10 ad 21 vel 24 plane parenthesis loco insertos esse statuendum esset, ut tum demum Venus, cur invocata esset, audiret?

Quoniam igitur hi prooemii versus tantas suspitiones movere potuerunt, haud abs re erit, horum exordii versuum rationem paucis explicasse, cum illud sane explicatione egere videatur, quod vv. 10 sqq. particula *nam* antecedentibus adiunguntur. Dubitari autem nequit, quin huius enuntiati et eius quod antecedit vinculo, ut ita dicam, poeta utatur alterius personae pronomine, Veneris igitur invocatae numine. Hanc non solum *genetricem* i. e. animalium concipiendorum auctorem, sed etiam veris deam propterea appellat, quod eodem veris tempore, quo animalia Veneris numine percelli et inflammari appareat, terra quoque numine quodam divino recreetur. 'T u es, alma Venus, cui venti et nubila cedunt, t u es, quam terra salutat tempore verno. Nam simulatque veris species patefacta est, t u es, cuius initum omnia animalia significant.' Cf. V, 737: *It ver et Venus et veris praenuntius ante pennatus graditur zephyrus.* Ovid. fast. IV, 125:

Nec Veneri tempus, quam ver, erat aptius ullum.
Vere nitent terrae, vere remissus ager.

129: *Et formosa Venus formoso tempore digna est.*

De eadem prooemii parte Spengelius quoque[3]) suspitionem movit in censura editionis Lachmannianae (Gel. Anz. d. bayr. Akad. a. 1851 t. II p. 791), cuius verba haec sunt: 'Aber sollte Lucr. oder irgend ein Dichter sich so ausdrücken dürfen: *aëriae primum volucres .... inde ferae pecudes .... denique per maria ac montis fluviosque rapacis — propagent*, so dass in diesem *denique* zugleich jenes erste und zweite wiederholt wird? Vielmehr kann jenes *denique* nur die Angabe des dritten Elementes,

[3]) Cui Susemihlius assentitur l. s. s. p. 456.

des Wassers, allein enthalten, und erst nach dieser rhetorischen distributio durfte die gemeinsame Verbindung aller drei Gattungen z. B. *omnia per maria ac montis* erfolgen.' In quibus illud quidem vir doctissimus subtilius mihi quam verius disputare videtur, quod quattuor vel tria elementa poetam in animalibus enumerandis sequi existimat. Nam quamvis saepe hac distributione Lucretium uti haud ignorem, tamen haud paucis locis eodem iure illorum unum vel duo desideraremus; ita in ipsis primis carminis versibus offendere posset, quod praeter mare navigerum et terras frugiferentes non aurae a volucribus pervulgatae mentio fit. Sed Spengelii suspitioni quodam modo dicendi consuetudo Lucretiana succurrit. Haec enim quaestio cum procul dubio ad particulae *denique* usum Lucretianum redeat, negari nequit eam huius particulae vim, qua singulis partibus enumeratis omnia brevi complectatur, alienam esse a carmine Lucretiano, in quo semper adiungit partem ultimam vel paenultimam. Versus enim libri primi 471, quem Munro (p. 336) affert ad hunc locum illustrandum, aliam rationem esse postea apparebit. Sed quominus huic rei nimium tribuamus, altera quadam prohibemur dicendi consuetudine Lucretiana. *denique* enim si hoc loco vim habet enumerandi, particularum quae antecedunt vv. 12 et 15 eandem vim esse necesse est; *primum* — *inde* igitur non vertendum 'zuerst — dann', sed 'erstens — ferner'. Quod quamvis per se valde incommodum videatur, ne ferri quidem potest per dicendi usum Lucretianum. Qui enim hos versus consideraverit:

I, 742 *primum quod motus exempto rebus inani*
constituunt
746 *deinde quod omnino finem non esse*
931 *primum, quod — doceo*, 933 *deinde quod — pango*
IV, 193 *primum quod parvola causa | est*
196 *deinde quod — mittuntur*
694 *primum quia vix emittitur —*
698 *deinde videre licet*
V, 849 *multa videmus enim rebus concurrere debere,*
ut propagando possint procudere saecla;
pabula primum ut sint, genitalia deinde per artus
semina qua possint membris manare remissa.
VI, 769 *principio*, 781 *deinde.*
I, 389 *nam primum quemque necessest*
occupet ille locum, deinde omnia possideantur.

I, 785 *retroque a terra cuncta reverti,*
umorem primum, post aëra, deinde calorem:

cum his autem versibus eos comparaverit quos subieci:

I, 604 *primaque et una*
inde aliae atque aliae similes et ordine partes
agmine condenso naturam corporis explent.

II, 133 *prima moventur enim per se primordia rerum:*
inde ea quae parvo sunt corpora conciliatu
. . . . *cientur.*

269 *ut videas initum motus a corde creari,*
ex animique voluntate id procedere primum,
inde dari porro per totum corpus et artus.

III, 246 *prima cietur enim, parvis perfecta figuris:*
inde calor motus et venti caeca potestas
accipit, inde aër: inde omnia mobilitantur.

528 *in pedibus primum digitos livescere et unguis,*
inde pedes et crura mori, post inde per artus —

IV, 275 *primus enim citra postes tum cernitur aër,*
inde fores ipsae dextra laevaque secuntur.

617 *principio sucum sentimus in ore* —

620 *inde quod exprimimus per caulas omne palati | diditur.*

881 *dico animo nostro primum simulacra meandi | accidere.*

883 *inde voluntas fit.*

V, 1382 *et zephyri, cava per calamorum, sibila primum*
agrestis docuere cavas inflare cicutas.
inde minutatim dulcis didicere querellas

VI, 455 *haec faciunt primum parvas consistere nubes:*
inde haec comprendunt inter se —:

hos igitur versus qui inter se comparaverit, ei apparebit *primum* — *deinde* plerumque res vel argumenta enumerare, interdum (I 389; 785) temporis ordinem indicare, *primum* — *inde* semper ad tempus spectare. Quae cum ita sint, aut, si quis et hic et illic a Lucretiana dicendi consuetudine recedi posse negat, statuendum est non solum ante versum 17 versus nonnullos ad maris animalia pertinentia intercidisse, sed etiam versus ipsius 17 initium corruptum esse: aut, si paullum severitatis remiserimus, poetam, ne diutius in singulis moretur, uno iam impetu genus universum complecti concedemus. Atque siquis haud inepte poetam pisces et ostreas amore exsultantes praetermisisse existimabit, nihil habebo quod ei repugnare dicam.

Idem traditae scripturae patrocinium haud dubitarem in singulis prooemii partibus reliquis suscipere, sed eodem iure ea, quae in singularum partium nexu et continuitate offendunt vel desiderantur, aperire, aperta confirmare posse mihi videor. Atque peropportune in una quaestione eaque ad hanc universam quaestionem diiudicandam gravissima, quae est de versus 50 scriptura, ipsius nobis Lachmanni iudicium succurrit. Versum 50 cum sic scriptum habeant ll. mss.:

quod superest ut vacuas . . . . . .
semotum a curis adhibe veram ad rationem,

et *ut* delendum esse et *auris* excidisse manifestum erat. Reliqua varie viri docti supplerunt. Nicolaus Nicoli: 'mihi Memmius et te', quod rectissime Lachmannus durum et quaesitum esse contendit. Accedit quod Lucretius semper illum *Memmi* appellat (I, 411. 1052. II, 143. 182. 1080 (coni. pro *mente*). V, 8. 93. 164. 867. 1282). Lambinus: 'mihi Memmiada et te'; alia a Munrone allata sunt. Iacobus vero Bernaysius, vir clarissimus, praeceptor carissimus, nisus hisce veteris interpretis Vergiliani Veronensis verbis (ad Georg. III 3 in Veter. interpr. in Virgil. Mar. comm. ed. Ang. Mai Mediol. a. 1818) '*Cetera quae vacuas tenuissent mentes. vacuas mentes scribentium intellegendum. sic Lucretius: vacuas aures animumque sagacem. accipitur et vacuas, otiosas,* cum in libri quarti v. 912 esset *tenuis aures animumque sagacem*, scribendum esse statuit:

quod superest, vacuas auris animumque sagacem,

ratiocinatione usus satis probabili. Nam qui interpretem illum memoriae lapsu non solum a vera versus libri quarti forma deerrasse, quod fieri poterat, sed etiam casu in id ipsum adiectivum *vacuas* incidisse, quod in primo libro exstat, atque propter hoc ipsum adiectivum versum Lucretianum ad Vergilianum illustrandum attulisse suspicantur, ei testimoniorum cum libris mss. consensu uti videntur ad utrorumque fidem non confirmandam, sed infringendam. Neque Lachmannus huic Bernaysii argumento non cessit, sed suam ipsius coniecturam 'animumque age Memmi' missam fecit. Post Lachmannum et Bernaysium fuisse, qui pannum istum codicum Italicorum (nempe etiam Victoriani!) 'mihi Memmius et te' pro integra scriptura oblongo et quadrato antiquiore haberent, satis mirari nequeo; neque Goebelii argumentationem, qua sagacitatem ab hoc loco alienam esse demonstrare aggreditur, intellegere possum. Immo, quia Lucretius, ne verba

sua prius contemnantur quam intellegantur, veretur v. 53, concludere licet flagitare poetam Memmii intellegentiam i. e. sagacitatem. Pollius quoque nimis caute cum Grasbergero (Philol. XVI p. 298) de huius versus emendatione desperat, quod, quid ante hunc versum deperditum sit, nesciamus. Nam, quia huius versus ex interprete Vergiliano restituti testimonio inprimis usi inter v. 43 et 50 paucos vel complures versus deesse contendimus (quamvis alia argumenta accedere Pollio libentissime concedam), admodum ingratum sit, iam eis, quae deesse didicimus, uti ad illius testimonii fidem labefactandam. Lachmannus enim illo Bernaysii supplemento recepto rectissime contendit 'fieri nullo modo potuisse, ut poeta a Venere orationem ad Memmium ne nomine quidem appellatum deflecteret', ea igitur deesse, quibus poeta ad Memmium se converteret.

Illud igitur iam agitur, utri haec lacuna tribuenda sit mendorum generi: aut enim ea revocanda est ad carminis non absoluti editionem, ut ea quae desunt numquam edita esse existimanda sint, aut illi versus errore quodam librariorum omissi sunt vel alio casu interciderunt. Hoc quamvis valde eo commendari haud dissimulem, quod inter versum 43 et 50 sex versus exstant in ll. mss. perperam e libro altero (646—651) repetiti a lectore, qui Lucretium parum sibi constantem castigaret, tamen habeo cur minus veri simile esse contendam. Primum ex eo, quod in carmine Lucretiano identidem versus ab illo vel aliis lectoribus additi vel perperam repetiti inveniuntur sine ullo versuum Lucretianorum detrimento (praeter ceteros tredecim libri quinti versus 351—363 libro tertio inserti post v. 805), apparet, marginem talibus ludibriis satis spatiosum suppeditasse. Deinde cum dubitari nequeat, quin et versu 43 prima pars prooemii absoluta sit, versu 50 nova pars incipiat, totam partem deesse necesse est. Et profecto ea ipsa quae desideratur Memmii appellatio plena parte haud indigna esse videtur. Casu igitur singulari factum esset, ut nonnullis versibus de margine in carminis continuitatem insertis pars intercideret plena et absoluta. Quod reliquum est, si, quae ex ipsis versibus 50 sqq. ad hanc rem illustrandam elici possint, quaesiverimus, ab hac quoque parte, quin quae desunt non librariorum errore praetermissa sint, vix dubitari poterit. Ipsa prima verba *quod superest* peropportunam huic quaestioni ansam praebent. Quae etiamsi plane ad particulae copulativae vim descendisse concedamus, ut non ea, quae re vera

ad aliquam quaestionem vel quaestionis partem absolvendam scribenda supersint, adiungant, sed idem valeant atque *ceterum*, nostrum 'übrigens': ne his quidem particulis locus est, nisi quid disputationi vel disputationis parti alioqui absolutae quasi extra sermonis continuitatem additur sumus. Sed maiorem illorum verborum vim esse neque propriam eorum notionem extenuatam esse, confidenter asseverare licet ex ipso usu Lucretiano. Ac primum quidem ea nondum plane in particulae vim abisse hi loci declarant, quibus plane enuntiatis inserta sunt. V, 195 sqq. poeta magnas terrae partes exponit montes silvasque, rupes, paludes, mare possidere, pergit autem v. 204:

> *inde duas porro prope partis fervidus ardor*
> *adsiduusque geli casus mortalibus aufert.*
> *quod superest arvi, tamen id natura sua vi*
> *sentibus obducat, ni* e. q. s.

III, 904: *tu quidem ut es leto sopitus, sic eris aevi*
quod superest cunctis privatu' doloribus aegris.

I, 921: *nunc age, quod superest cognosce et clarius audi.*

(Quomodo hoc loco verba *quod superest* Briegero (Philol. 14, 561 ad hunc v.) suspitiones movere potuerint, ut versum post v. 921 excidisse coniceret, non intellego.)

II, 182: *quae tibi posterius, Memmi, faciemus aperta:*
nunc id quod superest de motibus expediemus.

Cf. VI, 46: *et quoniam docui — quae restant percipe porro.* His locis re vera id quod superest poetae absolvendum superesse ex ipsis quae ascripsi verbis apparet. Eodem hi loci valent, quibus verba 'quod superest' iam extra enuntiatorum structuram addita sunt (cf. Lachm. p. 225):

II, 544: *infinita tamen nisi erit vis materiai,*
unde ea progigni possit concepta, creari
non poterit, neque, quod superest, procrescere alique.

II, 487: *nempe ubi eas partis unius corporis omnis,*
summa atque ima locans, transmutans dextera laevis,
omnimodis expertus eris, quam quisque det ordo
formai speciem totius corporis eius,
quod superest, si forte voles variare figuras,
addendum partis alias erit.

II, 37: *quapropter quoniam nil nostro in corpore gazae*
proficiunt neque nobilitas nec gloria regni,
quod superest, animo quoque nil prodesse putandum.

V, 55: *cuius ego ingressus vestigia dum rationes*
persequor ac doceo dictis — — —
64: *quod superest, nunc huc rationis detulit ordo,*
ut mihi mortali consistere corpore mundum
nativomque simul ratio reddunda sit esse:

(ea enim hoc loco exponit, quae demonstranda restent.)

VI, 998: *quapropter, bene ubi haec confirmata atque locata*
omnia constiterint nobis praeposta parata,
quod superest, facile hinc ratio reddetur, et omnis
causa pate fiet, quae ferri pelliciat vim.

Huc referendi libri quarti extremi versus 1283:

quod superest, consuetudo concinnat amorem,

atque, si Lachmannum cum Bernaysio sequaris, IV, 195:

204: *quid quae sunt igitur iam prima fronte parata?*
cum iaciuntur et emissum res nulla moratur,
195: *quod superest, ubi tam volucri levitate ferantur.*

Restant versus, quibus verba *quod superest* integris argumentationis partibus praemittuntur, huic igitur in quo versamur prooemii versui simillimi atque, si quidem his partibus argumentationes concludi solent, summi ad hanc quaestionem diiudicandam momenti. In prima fronte versum V, 91 colloco, quo verba *quod superest* eis, quae adduntur

quod superest, ne te in promissis plura moremur

optime illustrantur. Primis enim nonaginta libri V versibus Lucretius laudato ut solet Epicuro exposuerat, quae sibi illius vestigia prementi explicanda superessent, atque iam sic fere pergit: 'doch um damit zu Ende zu kommen und dich nicht länger mit Versprechungen aufzuhalten'. Eiusdem libri versibus 772 sqq.:

quod superest, quoniam — — resolvi,
780: *nunc redeo ad mundi novitatem* e. q. s.,

unam argumentationem absolvi, ad alteram transiri ex his ipsis versibus apparet.

Libri quarti versibus 522 sq.:

nunc alii sensus quo pacto quisque suam rem
sentiat, haud quaquam ratio scruposa relicta est:

nova disserendi materia proposita, cum inde a v. 524 primum vocum audiendique naturam explicarit, versu 595:

quod superest, non est mirandum e. q. s.

haec disputatio finitur. Transit enim v. 615 ad alius sensus na-

turam. Libri quinti versu 1241 ad ea quae restant his verbis transit:

quod superest, aes atque aurum ferrumque repertumst,

postquam versibus 1194—1240 infelicem generis humani religionem plorantibus carminis continuitatem interrupit. Libri tertii versuum 350 sqq., ut quos perperam hoc loco insertos esse veri simile sit, hic rationem non habeo. (Cf. Lachm. ad v. 396. Qui tralaticium versuum ordinem excusare posse sibi videntur, habes apud Pollium Philol. XXVI p. 329.) In VI, 219:

quod superest, quali natura praedita constent
fulmina

et eis quae sequuntur ad v. 238, ea finiuntur, quae de fulminum natura exposuit; versu 239:

nunc ea quo pacto gignantur et impete tanto
fiant — 245: *expediam*

iam eorum originem et vim explicare incipit. Ad quam bipertitam argumentationem respicit versibus 379 sq.:

hoc est igniferi naturam fulminis ipsam
perspicere et qua vi faciat rem quamque videre.

Deinde, ut huic universae de fulminibus disputationi finem imponat additis versibus 423—450:

quod superest, facile est ex his cognoscere rebus
presteras Graii quos ab re nominitarunt,

iam versu 451 ad nubila explananda transit. Eodem libro sexto rebus mirabilibus (ut terrae motui, Aetnae, Nilo, lacui Averno, fonti Hammoniaco) postremo loco, priusquam de morbis agere incipit, Magneta lapidem illustrandum addit his verbis:

906: *quod superest, agere incipiam quo foedere fiat*
naturae, lapis hic e. q. s.:

cui rei explanandae ut viam muniret, nonnulla praemonenda esse ratus, quae verbis *Principio* v. 921, *Nunc* 936, *Huc accedit uti* 959 adiunxit, horum praemonendorum extremum addidit v. 979: *Hoc etiam superest, ipsa quam dicere de re Adgredior.* Denique vv. 996 sq. ad ipsam rem transit:

qua propter bene ubi haec confirmata atque locata
omnia constiterint e. q. s.

His locis omnibus verba *quod superest* propriam notionem servasse neque vertenda esse 'ferner' vel 'übrigens', sed 'schliesslich' apparet. Neque aliorum scriptorum usus a Lucretiano alienus est. Versus Propertianus IV 21, 21 a Lachmanno allatus

(p. 225) Lucretianis, quos altero loco enumeravi, simillimus est. Cicero ad Att. 9, 19 verbis *quod superest* in extrema epistula similiter utitur atque aliis locis verbis 'quod reliquum est': ad fam. 13, 72 in fine epistulae, ad Att. 16, 15, 3 in fine epist.; nam pergit *obsignata iam epistula litteras a te — accepi:* ad fam. 10, 11 in fine primae partis epistulae.

Longus mihi in hac de verbis *quod superest* quaestione fuisse viderer, nisi hoc multorum locorum consensu uni carminis Lucretiani parti, qualem exhibent ll. mss., fidem abrogaturus essem. Libri enim quinti versu 247 cum poeta de quattuor naturae principiis, terra igne umore aura, disputandum sibi proposuisset, prima quaestionis parte absoluta versu 261 statim ad alteram verbis *quod superest* transit; deinde tertiam quartamque particulis usus *nunc* v. 273 et *item* v. 281 addit: quod quidem Lucretii fuisse consilium nullo modo mihi persuadere possum. Atque cum, cuinam haec partium perturbatio mendorum generi tribuenda sit, dubitari nequeat, ad hanc difficultatem virorum doctorum animum advertisse satis habeo. Ei vero, quae est de verbis *quod superest,* quaestioni si etiam subsidio opus est, illa, in qua expedienda versamur, prooemii parte vehementer ea firmari potest. His enim versibus, quibus Memmium ut benigno attenteque audiat adhortatur, poetam de praefando ad rem ipsam transire (*disserere incipiam* v. 55) ipsis eius verbis manifestum est.

Quare cum eis, quae ante versum 50 desiderantur, Lucretium non solum ad Memmium se convertisse, sed ita eum allocutum esse veri simile sit, ut iam verbis *quod superest* praefandi finem facere operae pretium duceret, eo magis iam incredibile videtur librariorum errore paucos versus omissos esse. Contra, ut complurium versuum detrimentum carminis non absoluti editioni tribuamus, aliis quoque adducimur prooemii difficultatibus. Ac primum quidem, cum versu 61 praefandi ut videtur fine facto vv. 62—79 poeta transeat ad Epicurum doctrinae magistrum collaudandum, vv. 80—101. 102—135 superstitiones doctrinae suae iniquas submoveat, v. 146 primam doctrinae argumentationem ingrediatur, illud primo obtutu offendit, quod vv. 136—145 plane parenthesis loco inter partes artissime cohaerentes interpositi sunt, ut editoribus hoc ne verbo quidem excusandum visum esse satis mirer. Equidem similia non novi in carmine Lucretiano, nisi partium, quas Lachmannus a Cicerone non suo loco insertas esse coniecit, nonnullas aut locos, quibus poetam consilio paullum egredi

ipsis eius verbis significatur. Ita ad rem propositam se revocat libri primi v. 418:

Sed nunc ut repetam coeptum pertexere dictis:

eiusdemque libri v. 951: *Sed quoniam — docui — nunc age — evolvamus.* Atque si nimis hoc loco severe iudicare videor, habeo quod iudicio meo succurrat, cum non solum duobus locis, quibus verba *nec me animi fallit* redeunt, artissime cum versibus antecedentibus cohaereant:

I, 921: *Nunc age, quod superest cognosce et clarius audi.*
nec me animi fallit quam sint obscura.

V, 91: *quod superest — maria ac terras caelumque tuere,*
quorum naturam triplicem . . . Vna dies dabit exitio. . . .
nec me animi fallit, quam res nova miraque menti
accidat exitium caeli terraeque futurum:

sed cum etiam versus *hunc igitur terrorem animi* (v. 146) e. q. s. ter ita repetantur, ut terroris metusque verba continuo sequantur II, 59. III, 91. VI, 39: *nam veluti pueri trepidant atque — metuunt*, *sic nos timemus interdum: hunc igitur terrorem animi* e. q. s. Quare cum vix maioris audaciae sit hanc partem eis addere, quas non suo loco exstare constat, quam has ipsas recte a Lachmanno seclusas esse concedere, iam quaerendum est, num alio loco aptius inseri possit. Talia autem his versibus contineri, qualia ante versum 50 desiderabantur, negari nequit. Cum Memmio enim Lucretium verbis *sed tua me virtus tamen et sperata voluptas suavis amicitiae* colloqui (v. 140) unusquisque concedet. Atque Fridericus Ritschelius et Aemilius Iungmannus, carissimi ille magister hic amicus, ubi primum eis haec diiudicanda proposui, in hanc traiectionem inciderunt, qua unam difficultatem plane, alteram maxima e parte tollere posse sibi videbantur. Versus enim, quibus Memmium nomine appellabat, nihilo minus desiderari concedere debebant. Mihi quid videatur, infra proponam, ubi in versus 80—101. 102—135 paucis inquisivero. Neque in versibus 50—61, neque in 136—145 dubium erat quin ad Memmium poeta se converteret. Idem vero de hac utraque parte mihi concedatur necesse est. Errat enim qui ad Memmium ea tantum pertinere existimet, quibus nomine appellatur, haec vero et similia ad quemvis lectorem. Non solum haud paucis carminis locis poetam ad Memmium se convertere, quamvis eum non nominet, manifestum est, ut I, 921—50. 1114—17. II, 730. 1023. III, 206 (*o bone:* cf. I, 331). 417 sq. IV, 912 sq., sed ne

omnibus quidem locis, quibus Memmius appellatur, vigor quidam singularis vel argumentum gravius inest (cf. V, 867. 1282). Certe igitur multo pluribus locis Memmium sibi audientem fingit, quam quibus eius nomine utitur: (cf. decem versus p. 12 allatos.) In eadem vero carminis parte eum alterius personae forma modo Memmium, modo lectorum quemlibet allocutum esse prorsus incredibile est. Quae quam ob causam monuerim, statim apparebit, si, quid *curae* illae versus 51 sibi velint, intellexerimus. Quae si ad negotia vel munera pertinent, bene ad vv. 29—43 respiciunt; si sunt religiones, idem valent atque ea quae inde a v. 80 sequuntur. Haec quoque quaestio cum ad dicendi consuetudinem Lucretianam ante omnia revocanda sit, ipsos versus Lucretianos complures perlustrandos propono.

II, 17: *nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, cui*
corpore seiunctus dolor absit, menti' fruatur
iucundo sensu, cura semotu' metuque?
44: *his tibi tum rebus timefactae religiones*
effugiunt animo pavide, mortisque timores
tum vacuum pectus lincunt curaque solutum.
III, 79: *et saepe usque adeo, mortis formidine, vitae*
percipit humanos odium lucisque videndae,
ut sibi consciscant maerenti pectore letum,
obliti fontem curarum hunc esse timorem e. q. s.
459: *huc accedit uti videamus, corpus ut ipsum*
suscipere inmanis morbos durumque dolorem,
sic animum curas acris luctumque metumque.
825: *advenit id quod eam de rebus saepe futuris*
macerat inque metu male habet curisque fatigat.
992: *sed Tityos nobis hic est, in amore iacentem*
quem volucres lacerant atque exest anxius angor
aut alia quavis scindunt cuppedine curae.
1049: *sollicitamque geris cassa formidine mentem,*
nec reperire potes tibi quid sit saepe mali, cum
ebrius urgeris multis miser undique curis
atque animi incerto fluitans errore vagaris.
V, 43: *at nisi purgatumst pectus, quae proelia nobis*
atque pericula tumst ingratis insinuandum!
quantae tum scindunt hominem cuppedinis acres
sollicitum curae, quantique perinde timores!
1204: *nam cum suspicimus magni caelestia mundi*

templa, super stellisque micantibus aethera fixum,
et venit in mentem solis lunaeque viarum,
tunc aliis oppressa malis in pectora cura
illa quoque expergefactum caput erigere infit,
ne quae forte deum nobis inmensa potestas
sit (cf. 1211 *temptat dubiam mentem rationis egestas*).

VI, 34: *volvere curarum tristis in pectore fluctus.*
nam veluti pueri trepidant atque omnia caecis
in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus.

His locis omnibus *curis* animi superstitiones et religiones significari non minus patet, quam illum prooemii versum his consociandum esse. Nam praeterquam quod verae rationi religiones sicut aliis locis, ita hic optime opponuntur, illud quod est

ne mea dona tibi studio disposta fideli
intellecta prius quam sint contempta relinquas

huic soli curarum interpretationi convenit. Negotiis enim curisque publicis Memmius occupatus (quae Munronis sententia esse videtur: 'wisdom and happiness being unattainable without ἀταραξία or perfect exemption from care and trouble') haberet, quod Lucretii doctrinam neglegeret, minime quod contemneret. At contemnere rationem solent homines inanibus superstitionibus oppressi. Minime igitur poeta sibi constat, quod vv. 50—61 verbis *quod superest* e. q. s. praefandi, ut videtur, fine facto versibus 80 sqq. 102 sqq. non solum denuo doctrinae viam munire incipit, sed id ipsum, quod illic tetigisse satis habens ad rem ipsam transiturus erat, iam uberius tamquam supplementi loco repetit. Quare, cum hoc poetae acerrime alioqui singulas partes earumque ordinem disponentis consilium fuisse incredibile sit, versus vero 50—61 loco aptiore (post versum igitur 135) inseri nequeant, quoniam versus 102—135 cum prima libri primi argumentatione artissime cohaerent, nihil relinquitur, nisi ut illos versus cum reliquis prooemii partibus non congruere statuamus. Auget has offensiones illud, quod Lucretius his versibus, quibus doctrinae suae argumenta nonnulla gravissima complectitur, praeter caelum deosque nihil commemorat nisi primordia, ea autem tam copiose, quasi iam in media re esset.[4]) Et profecto prima

---

[4]) Tamen cum Munrone, qui item in his versibus offendit, hanc partem cum vv. 127—135 conferre nolo, quibus ea tantum poeta compre-

carminis argumentatione exponitur (v. 149—264), unde omnis natura creet res, auctet alatque quove eadem rursus perempta resolvat (v. 56 sq.). Eo igitur magis offensioni est, quod statim a re proposita aberrat versuque demum 146 longe alia via ad eam redit, eoque magis veri simile scriptos esse hos versus a poeta alio tempore, cum librum primum alio modo prooemio adiungere in animo haberet.

Paucis ea comprehendamus, quae de prooemii partibus demonstrari posse videbantur: deest tota pars quaedam, qua ad Memmium poeta orationem deflexit. Earum, quae exstant, partium una, quae partium complurium ad Memmium conversarum ultima esse videtur, non solum non habet quibus adiungatur, quoniam illa desunt, sed etiam ante versus 80—135 ferri nequit, altera non suo loco inserta est. Haec omnia quin ad carminis a poeta non editi condicionem redeant, dubitari nequit. His autem offensionibus gravissimis leviores addere iam haud ita difficile est. Inprimis animadvertendum, singulas partes, si illud exceperis quod v. 82 loquitur de *illa religione*, nullis omnino vinculis inter se contineri, sed unaquaque parte quasi novo impetu orationem exordiri.

Has quaestiones qui cum Briegeri adnotationibus comparaverit, sane, nisi uterque ei inani rerum novandarum studio decepti videbimur, Briegero tribuet, quod primus versuum 50—61, 136—145 incommoda aperuit (utramque rem iam Grasbergerum leviter tetigisse nunc video p. 30. 31), sed me non 'acta egisse' concedet.

In eo igitur iam est ut quaeramus, utrum carminis editor prooemii a Lucretio absoluti partes aliquo errore traiecerit, nonnulla, quae alio tempore conscripta poeta ita certe ut exstant non recepturus erat, receperit, alia omiserit: an haec, quae turbata nobis et manca tradita sunt, numquam absoluta fuerint. Illud dici nequit quam sit incredibile; quin non absolutum fuerit prooemium, dubitari non posse contenderem, nisi illi ipsi, quos eadem vel similia atque me ipsum offenderunt, aliter censere atque una vel duabus partibus traiectis Lucretianam integritatem restituere posse sibi viderentur. Admodum vero hoc lubricum esse censeo non solum, quod mira Cicero aut astutia aut stultitia

hendat, quae ad religiones vatumque dicta terriloqua, de quibus illa pars est, excutienda ei gravissima videbantur.

usus omittendo, traiciendo, male inserendo prooemium turbasse existimandus esset, sed etiam, quod reliquorum locorum, in quibus editoris vestigia graviora (nam leviora quaedam ipsi sanabimus) detecta sunt, nullo ultra procedere concinnumque argumentandi ordinem restituere contigit. Sed ne temere de hac re desperare videamur, paucis illorum sententias recenseamus.

Et Iessenus quidem versibus 136—145 inter vv. 61 et 62 insertis omnia iam optime procedere censet, nisi quod fortasse nonnulla ante v. 50 excidisse concedet (Bernaysii enim supplementum non agnoscere videtur). Contra quem hoc monuisse satis habeo, quod, si quid certi de prooemii partium nexu conicere licet, illud dubitari nequit, quin versus 136—145, ubi poeta de Graiorum obscuris repertis loquitur, illam partem, quae est de Graio homine primo religionum victore, secuti sint, non antecesserint. Idem mihi contra illam versuum 136—145 traiectionem valere videtur, cuius supra mentionem feci p. 18, etiam si reliquarum versuum 50—61 difficultatum nullam rationem habeam. Huic igitur rei Briegerus satisfacit eisdem versibus versui 79 subiungendis, ita tamen, ut inter versus 79 et 136 aliquid deesse veri simile sit. Nam illis versibus 136 sqq. locus non est, nisi antea Lucretius Epicuri vel Graiorum philosophorum doctrinam se illustraturum esse exposuerit. Atque tale quiddam in carminis prooemio desiderari vereor ut negari possit. Versus enim 62—80 ad verba, qualia sunt V, 55

cuius ego ingressus vestigia dum rationes
persequor ac doceo dictis e. q. s.

nos ducere videntur, ipsi vero ne verbo quidem hoc tangunt. Versuum igitur 50—61 cum Briegerus iure suo rationem non habeat, inter versus 43 et 62 nihil desiderari, ei autem, quae deest, Memmii appellationi post versum 80 locum fuisse conicit. Sed neque illud mihi probabile esse videtur, Lucretium statim post vv. 1—43 versu 62 quasi de integro exordiri, neque hoc me fugit; tali traiectione eas partes, quas solas vinculo quodam inter se contineri (v. 82) iam dixi, divelli. Munronis suspitionem, qua Lucretium opinatur primum a versibus 62—80 carmen exorsurum fuisse, deinde novum prooemium condidisse, commemorasse satis habeo, cum neque habeam, quo hanc sententiam confirmem, neque quo certo refutem. Ea quoque novi, quae ante hos tres annos vir quidam ut videtur doctissimus 'Fr. B.' (in 'Grenzboten' a. 1869. fasc. 43) de C. Memmio et Lucretio car-

minisque Lucretiani partibus nonnullis divinavit 'sanctius quam Pythia quae tripode a Phoebi lauroque profatur'; atque aegerrime me ferre profiteor, quod tantum mihi, quantum ipsi, e versibus Lucretianis subaudire non contigit. Mihi in eo subsistendum videtur, ut carminis prooemium a poeta absolutum esse negemus. Quae mea sententia si forte hanc ob causam nonnullis minus probabilis videbitur, quod singulae prooemii partes in pulcherrimarum totius carminis numero habendae sint, eos recordari velim, idem valere ad complures reliquorum librorum partes item a Lucretio carminis continuitati nondum insertas: ut ab hac quoque parte veri simile sit Lucretio non contigisse, ut singulas prooemii partes accuratissime elaboratas eis, quae praeterea praemoniturus erat, augeret et contexeret.

2.

De ceteris libri primi partibus.

V. 205—214.

Transeo ad ipsas libri primi argumentationes, quarum prima nil de nilo creari posse demonstratur. Cuius argumentationis singulas particulas cum diligenter accurateque Lucretius disposuerit, eo magis offensioni est, quod tres versus non suo loco scripti exstant. Et est quidem illa tota divisa in partes duas, quarum una (159—214) res non de nilo, sed de seminibus creari, altera (215—264) eas non ad nil resolvi demonstratur. Utraque pars argumenta continet complura, et ita quidem, ut singula argumenta plerumque, ut solet, versibus ad quaestionis summam spectantibus poeta concludat:

180 *quod si de nilo fierent, subito exorerentur* e. q. s.
190 *ut noscere possis*
quicque sua de materia grandescere alique.
198 *quam sine principiis ullam rem existere posse.*
203 sq. *si non materies quia rebus reddita certast*
gignundis, e qua constet quid possit oriri?
213 *quod si nulla forent* e. q. s.

Item in parte altera: qua parte tribus versibus 262—264 finita universa argumentatio comprehenditur duobus versibus 265. 266:

nunc age, res quoniam docui non posse creari
de nilo neque item genitas ad nil revocari.

Unum in hac accurata dispositione desiderari possit, quod de prima ad alteram argumentationis seriem transit v. 215 parte prima universa non, ut solet, versibus nonnullis conclusa. Atque quoniam eorum, qui res de nilo fieri posse existimabant, sententiam eo refutavit, ut res non de nilo sed de seminibus creari ostenderet, haec fere desiderentur: nil igitur de nilo fit, quia e seminibus res creari apparet. Ecce vero, in hac media parte tres versus hanc ipsam, quam desideramus, sententiam praebent:

205 *nil igitur fieri de nilo posse fatendumst,*
semine quando opus est rebus, quo quaeque creatae
aëris in teneras possint proferrier auras.

His versibus non solum optime argumentationis parti primae universae finis imponi potest, sed eos ad partis summam, neque vero ad singula referri debere ex eo cognoscere licet, quod parte paenultima, cui illi nunc subiuncti sunt, iam multo accuratius poeta de seminibus certis locutus est. Res vero omnino e seminibus creari totius partis summa est. Quare nisi quis demonstraverit, illud quod versu 208 sequitur argumentum tale esse, quale tribus illis versibus una cum ceteris concludi nequeat, mihi concedi necesse est versus 208—214 non suo loco insertos esse. Vereor autem, ut illud demonstrari possit. Summa enim huic argumento cum eis quae antecedunt necessitudo intercedit, praeter cetera cum versibus 192—198; nam prorsus eodem modo, quo his versibus imbrium cibique alimentis, infra agrorum cultu poeta utitur, ut seminibus res creari demonstret. Immo a versibus 205—207 extremum argumentum aptius excipi quam versus 199—204, iure meo contendere videor, cum verba

quo quaeque creatae
aëris in teneras possint proferrier auras

magis ad plantarum arborumque cultum respicere videantur quam ad genus humanum. Ceterum Epicurus apud Laert. Diog. X, 38 non solum eadem bipertita argumentatione utitur, sed ipse quoque totam quaestionem ad semina revocat: πρῶτον μὲν ὅτι οὐδὲν γίγνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος· πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἐγίνετ' ἄν, σπερμάτων γε οὐδὲν προσδεόμενον.

Unum eis, qui traditum versuum ordinem tueri velint, refugium relinquitur, ut versus 208—214 corollarii loco post additos esse coniciant; atque prorsus me cum his facere profiteor, cum,

quin hos versus postea Lucretius composuerit, minime dubitem, sed eo certe consilio, ut versibus partis universae summam ducentibus anteponat. Atque hoc loco sane nobis Ciceronis errorem versibus 205—207 post v. 214 traiciendis resarcire licet.

V. 325.

Versum '326' (immo 325)

nec porro quaecumque aevo macieque senescunt

Briegerus Philol. 23 p. 464 Lucretianum quidem, sed male hoc loco insertum atque argumenti a Lucretio non absoluti esse conicit. Iure suo eum in Lachmanni Bernaysiique scriptura offendere concedo; sed lenissima iam Lambinus interpunctionis mutatione (quam Munro recepit) concinnam distribuendi rationem restituit plenius post v. 324 *tueri;* levius post v. 325 *senescunt,* distinguendo, ut verba v. 327 *quid quoque amittant in tempore* ad utrumque versum, et 325 et 326, pertineant:

nec porro quae cumque aevo macieque senescunt,
nec, mare quae impendent, vesco sale saxa peresa
quid quoque amittant in tempore cernere possis.

Senescere enim decrescendo, non crescendo asserendum esse apparet. Neque cur iam in animantum cum inanimatis coniunctione offendi possit, intellego. Certe huic versuum ordini etiam particularum 'nec porro' usus Lucretianus optime convenit (cf. I, 194. 444. 529 cet.)

V. 391—397.

Eius quae sequitur de inani doctrinae versibus 391—397 Pollio ultima lima defuisse videtur ('ein später auszuführender erster entwurf': Phil. 25, 270), cum praesertim versibus 393 sq. poeta parum accurate id ipsum, in quo demonstrando versetur, pro certo ponat. Iam antea Susemihlius (Philol. 23 p. 468) post versum 392 nonnulla excidisse coniecerat. Mihi neutrum persuasisse profiteor. Pollium enim, cum hos versus uncis inclusos a reliquis segregari posse existimet, fugisse videtur, argumentum, quod antecedit (384—390), his versibus loco suo motis vix pro absoluto haberi posse e disputandi consuetudine Lucretiana. Lucretius enim in talibus syllogismis non satis habet conclusionis 'praemissas' quas logici dicunt proposuisse lectoribusque ex eis ut porro concludant relinquere. Conferendi sunt ipsi versus antecedentes, ubi item particula *porro*, ut saepe, alteram praemissam addit:

nam quo squamigeri poterunt procedere tandem,
ni spatium dederint latices? concedere porro
quo poterunt undae, cum pisces ire nequibunt?
aut igitur motu privandumst corpora quaeque
aut esse admixtum dicundumst rebus inane.

Post versus igitur 384—390 mihi non abesse posse haec conclusio videtur: vacuum igitur tum fit, cum corpora dissiliunt. Sed hoc ipsum exstat in versibus

393 *nam vacuum tum fit, quod non fuit ante,*
et repletur item vacuum quod constitit ante.

Lucretius igitur his versibus mihi cum illius argumenti conclusione ipsam refutationem adversariorum, qui hanc rem aliter explicabant (hanc enim ob causam haud dubie huius rei mentionem fecit), coniungere videtur. Versus igitur 384—397 non duo, sed hoc unum argumentum continent: 'si duo corpora dissiliunt, spatium quod fit non uno tempore expleri potest: haec igitur res non alia ulla ratione explicari potest, nisi ita, ut vacuum fieri concedamus'. Qua interpretatione Pollii offensio tollitur; neque in reliquis habeo cur offendam, cum poeta opinionem his ipsis versibus iam refutatam uberius exponere operae pretium non habuerit. '*tali ratione*' v. 395 interpretandum: 'ut illi existimant'.

V. 464—482.

Transeo ad versus 464 sqq., qui quantopere viros doctos vexaverint dici nequit. Lucretius, postquam corporibus inane admixtum esse demonstravit, inde a versu 430 tertiam praeter corpora et inane naturam exstare non posse exponit. Omnia enim aut cum corpore et inani coniuncta aut horum eventa esse neque per se constare posse. Utriusque rei exemplis allatis ne tempus quidem per se esse contendit, quod e rerum motu et quiete temporis sensus sequatur. Tempus igitur, quoniam motus et quies nihil sunt nisi corporum eventa, eventorum eventum est. Iam v. 464—482 etiam res gestas exponit non per se esse, sed corporis spatiique eventa. Ea quam de his versibus instituemus quaestio artissime cohaeret cum versus 469 scriptura, quem sicut in libris mss. exstat:

namque aliut terris, aliut regionibus ipsis

non scriptum esse a Lucretio demonstrare longum est. Winckelmanni, qui solus ll. mss. scripturam defendit, verba appono, ut

alii intellegant, quod mihi quidem intellegere non contigit, 'Beitr. z. Krit. d. L. p. 3': 'Diesen Ausspruch begründet er hier durch Hinweisung darauf, dass man sonst versucht werde auch bei Lebzeiten der Personen, deren eventum eine That sei, diese für etwas Selbständiges zu halten, insofern jede That sich als ein eventum auf Erden überhaupt, und wiederum als ein anderes an dem Orte selbst, wo sie geschehen sei, ansehen lasse. Hier nämlich, wo man die Personen vor sich habe, als etwas wirklich Unselbständiges, überall anders aber als etwas eben so selbständig Scheinendes, wie wenn die Personen nicht mehr am Leben seien.' Variis igitur coniecturis huic versui viri docti succurrerunt, quas omnes uno in conspectu proponere iuvat.

Et Lambinus quidem proposuit: 'namque aliud rebus, aliud regionibus ipsis',
Wakefieldus: 'namque aliud terris, aliud legionibus ipsis',
Lachmannus: 'namque aliud per sest, aliut regionibus ipsis',
Bernaysius: 'namque aliud saeclis, aliud regionibus ipsis',
Munro: 'namque aliud Teucris, aliud regionibus ipsis',
Bouterwekius: 'namque aliud per se est, aliut temporibus ipsis',
Bockemuellerus: 'namque aliud terris, aliud redigentibus ipsis'.

Bouterwekii istud 'temporibus ipsis' ipsius discipulis castigandum remitto. Nimirum in eiusdem Lucret. quaestt. p. 48 haec thesis exstat 'Versus ictus apud Latinos poetas valuit ad correptas syllabas producendas'. Neque Lambiniani 'rebūs' rationem habeo, quamvis etiam post Lachmanni curas Purmannum Quaest. Laub. (a. 1858) in eo non offendisse mirabile sit. Sane in Quaest. Cottbus. (a. 1867) ita scribit Purmannus: 'sed ut omittam *rebus* producta ultima probari posse nemini', ne verbo quidem excusans, quod ipsi olim 'nihil aptius excogitari posse' videbatur. Lachmanni coniectura haec efficitur sententia: 'res gestas cum dicunt esse, hoc per se esse nequit, quoniam aliud per se est (velut regiones et loca), aliud, regionibus ipsis quodcumque erit actum, (velut raptus Helenae et bellum Troianum) eventum dici poterit'. Sed prima pars quid sibi velit, intellegere nequeo: 'res gestas cum dicunt esse, hoc per se esse nequit, quia loca per se sunt'. In parte altera verborum collocatio valde incommoda est neque *regionibus ipsis* illud habet quo spectet. Sed nihilo minus Lachmannus prudentius rem egit quam plerique et ante et post eum, cum non solum falsam disiunctionem, sed etiam dativos vitiosos sagaciter vitaret. De Bernaysii et Munronis coniec-

turis idem valet, quod iam Lachmannus Lambino et Wakefieldo repugnare contendit: 'quod istae divisiones neque quicquam ad rem faciunt et falsae sunt'. Pessime enim verbis *aliud* — *aliud* inter corporis et loci notiones disiungitur; rerum enim gestarum minime aliae corporis, aliae loci eventa sunt, sed omnes utriusque rei eventa (cf. v. 481 *eventa corporis atque loci*). Quod quamvis a Pollio et Purmanno iterum monitum et confirmatum esset, nihilo minus eandem emendandi viam denuo Bockemuellerus in Fleckeiseni Annal. a. 1869 t. 99 p. 267 tamquam a nullo antea temptatam ingressus illorum offensiones gravissimas ne verbo quidem infringere operae pretium habuit. Ipsius '*aliud terris, aliud redigentibus ipsis*' vereor ut cuiquam probetur.

His viris doctis omnibus, exceptis Lambino Lachmanno Munrone, Lucretius versibus illis 464—470 demonstrare videbatur, res gestas non per se, sed eventa esse. Iam primum animadvertendum est, si re vera id hic demonstraretur, inter versus 464—470 et 471—482 nihil omnino discriminis interfuturum esse, nisi quod inde a versu 471 iam et elegantius et magis philosophice poeta loqueretur. Pro terris enim vel regionibus atque saeclis vel Teucris iam v. 471 sq. vocibus philosophicis materiae et spatii utitur. Statuendum igitur esset, poetam partem priorem tantum adumbrasse, deinde, ut magis sibi satisfaceret, parte altera eandem rem accuratius et plenius retractasse: coniectura per se haud improbabili, si non partis prioris longe alia sententia esset atque illi opinari videbantur. Quid enim? quod versu 467 '*quorum haec eventa fuerunt*' illud iam pro certo proponitur et ab eis, quos sibi adversantes facit, conceditur, quod ex illorum opinione demonstraturus est. Alterum accedit, quod versus 467 et 468:

quando ea saecla hominum, quorum haec eventa fuerunt,
inrevocabilis abstulerit iam praeterita aetas:

minime cum illa interpretatione congruunt. Lucretii enim adversarii si negarent res gestas hominum et locorum eventa esse, ineptissime illorum hominum mortem Lucretio obicerent. Rectissime iam Pollius monet (d. art. vocab. Lucr. p. 64): 'at etiamsi nostris haec gererentur temporibus, eventa essent neque vero essent per se'. Sed eundem Pollium male offendere in coniunctivo *abstulerit,* cum hos versus ex adversariorum mente dictos esse non intellegeret, rectissime Purmannus monet. His ipsis versibus 467. 468 luce clarius apparet non agi de rebus tempore

praeterito gestis, sed de tempore praesenti, i. e. de rerum gestarum memoria ('um die geschichtliche Existenz von Ereignissen'), atque totius sententiae cardinem inesse in verbis v. 465 '*cum dicunt esse*'. Atque quoniam de dicendo agitur, iam verborum collocatio optime illustratur; illi enim quorum opiniones Lucretius impugnat, haud dubie dicebant: haec facta sunt, ergo sunt 'facta', ergo sunt; hoc dictum est, ergo est dictum (id Munronem quoque non fugit). Neque desunt exempla similis sophistarum tergiversationis. Inprimis conferas, quod Plato Euthyd. p. 298 D) Dionysodorum disputantem facit: εἰπὲ γάρ μοι, ἔστι σοι κύων; Καὶ μάλα πονηρός, ἔφη ὁ Κτήσιππος. Ἔστιν οὖν αὐτῷ κυνίδια; Καὶ μάλ', ἔφη, ἕτερα τοιαῦτα. Οὐκοῦν πατήρ ἐστιν αὐτῶν ὁ κύων; Ἔγωγέ τοι εἶδον, ἔφη, αὐτὸν ὀχεύοντα τὴν κύνα. Τί οὖν; οὐ σός ἐστιν ὁ κύων; Πάνυ γ', ἔφη. Οὐκοῦν πατὴρ ὢν σός ἐστιν, ὥστε σὸς πατὴρ γίγνεται ὁ κύων καὶ σὺ κυναρίων ἀδελφός;

Sed non minus confidenter, quam hanc solam interpretationem ferri posse contendo, illud mihi concessum iri spero, quod ex ea certissime concludi debet, esse hos versus perperam ante vv. 471—482 insertos. Qui enim illud iam poeta adversarios ultro concedentes facere potest, quod altera demum parte eiusdem argumentationis ipse demonstraturus est? Qui duorum argumentorum, quorum uno res gestas si gerantur eventa esse, altero res gestas non solum si gerantur, sed etiam si esse dicantur, eventa esse demonstrat, hoc priore, illud posteriore loco collocasse existimandus est? Aptissime vero, postquam res gestas eventa esse demonstravit, novam iam illi versus 464—470 adversariorum tergiversationem illustrant dicentium: hoc iam concedimus, illo tempore, quo gestae sunt, res gestas eventa fuisse, sed si iam dicimus hoc factum esse, id iam per se esse concedere debes, cum illi, quorum eventa fuerunt, iam dudum mortui sint. Hunc igitur si sequimur argumentorum ordinem, iam apertissimum est, cur Lucretius in parte prima (471—482), ubi de rebus gestis disserere incipit, uberius et elegantius illa exempla e bello Troiano petita proponat, in parte altera (464—470), ubi ad eadem exempla redit, paucis iam ea et (subtilibus illorum argutiis convenienter) aride et ieiune tetigisse satis habeat.

Sed nihilo minus manifestae illae versuum 469 sq. difficultates remanent neque huic, quam ipse defendo, versuum antecedentium interpretationi magis conveniunt. Sed iam aliquantum

progredi et unde ineptias istas fluxisse coniciam proponere audeo. Purmannus in eis, quae contra Pollium disputat (Quaestt. Cottbus. a. 1867), quamvis ipse huius argumenti rationes non satis perspectas habeat, tamen iure suo desperare mihi videtur, versibus 469 sq. una vel compluribus mutationibus idoneam sententiam conciliari posse, sed in eo procul dubio errat, quod hos versus sine ullo sententiae rationisque detrimento omitti posse opinatur. Fieri enim nullo modo potest, quin Lucretius dialecticis, quas sibi fingit, captionibus respondeat. Prorsus a Lucretiana disputandi ratione alienum esset dicere: 'videndumst ne hoc, quod contendunt, illis concedamus', neque vero addere, quamnam ob causam illi errent. Lucretius ei, quam sibi fingit, adversariorum opinioni aliter respondere nequit, nisi ut contendat, etiamsi aliquid factum esse dici possit, nihilo minus eventum dici posse. Atque tale responsum in his versibus latere minime incredibile est. Omnes vero difficultates ad solum versum priorem

namque aliut terris, aliut regionibus ipsis

redeunt. Disiunctionem illam per *aliud* — *aliud* factam ferri non posse, si ad eventa referatur, iam exposui; alia autem ratione disiungi posse Lachmanniano refugio improbabile magis quam probabile redditur. Accedit quod dativi *terris* et *regionibus* non modo in dicendi consuetudinem Lucretianam non conveniunt: nam Lucretius genetivo utitur in his versibus

450 *aut horum eventa videbis*
467 *quorum haec eventa fuerunt*
481 *sed magis ut merito possis eventa vocare*
corporis atque loci:

sed plane vitiosae sunt. Aut enim pendent de eventis, ut tale quid subaudiendum sit: 'hoc mihi eventum (esse) dici potest', quasi scribatur 'hoc mihi evenisse dici potest', quod ferri nequit; aut pendent de dicendo, quasi dicas: 'Carthaginis expugnatio Scipioni factum dicitur' pro 'Scipionis factum' dicitur, quod mihi quidem non magis ferri posse videtur. Certe Lucretius versu 481 res gestas 'eventa vocat' non corpori atque loco, sed corporis atque loci. Illud vero non neglegendum est, inepte quidem hoc versu inter terras et regiones disiungi, sed nihilo minus, cum regiones ipsae a terris seiungantur, ita ut istius, qui hunc versum scripsit, ingenio hanc disiunctionem obversatam

esse haud incredibile sit. Sed altero versu id ipsum dicitur, quod Lucretium dixisse veri simillimum est:

eventum dici poterit quodcumque erit actum.

Quae cum ita sint, haud improbabiliter coniciemus in inepta ista disiunctione 'aliud terris, aliud regionibus ipsis' non verborum Lucretianorum vestigia latere, sed e stolido eam interpretis ingenio haustam esse nugis suis versum Lucretianum expellentis. Quid vero, quod hoc quoque loco, ut saepius iam Lachmannus aliique, eundem interpolatorem bis deprehendimus? Nam idem haud dubie homo misellus iam versum 454

tactus corporibus cunctis intactus inani

finxit (praeterea v. 334), quo item genetivis Lucretianis versus 453

pondus uti saxist, calor ignis, liquor aquai

absurdos dativos suos adiunxit.

Versum 470 quamvis ad respondendum sufficere haud negaverim, tamen versum Lucretianum loco suo motum esse non temere dixi. Alibi enim Lucretium tanta tamque praecipiti brevitate uti non memini. Versus pangendi gloriolam non capto, sed haec fere eum continuisse suspicor: 'namque ab illis dici quidem poterit, sed nilo minus

eventum dici poterit quodcumque erit actum'.

Verum huic toti parti, ut exposui, ante versus 471—482 suus locus esse nequit. Ciceronis error eo non excusatur, sed illustratur, quod Lucretium hos quoque versus argumentationi alioqui absolutae postea, cum novam istam sibi fingeret tergiversationem, addidisse veri simile est. Versus enim 483 sq. '*Corpora sunt porro partim primordia*' e. q. s. cum ad versus 481 sq.

sed magis ut possis eventa vocare
corporis atque loci, res in quo quaeque gerantur:

respicere videantur, continuo post illos scripti esse videntur. Sed cum omnia quae antecedunt inde a versu 418 de corporibus et inani sint, de hac re certo iudicare nolo. Illa profecto versuum 464—470 collocatio tam incommoda est, ut diutius ferri nequeat. Ii igitur versus post v. 482 traiciendi atque, si hic v. a v. 483 non posse divelli videbitur, uncis includendi sunt, ut postumae ut ita dicam originis notam prae se ferant.

V. 599 sqq.

Versus, qui sequuntur a v. 483 ad v. 598 de corporum soliditate et immortalitate, num in hunc qui exstat in ll. mss. ordinem a Lucretio ipso redacti essent, iamdudum docti homines dubitaverunt; ego priusquam, quid de hac re mihi dicendum videatur proponam, me accingo ad quaestionem, quae est de vv. 599 sqq., expediendam.

Versatur igitur Lucretius in primordiorum natura explicanda, quae solida, aeterna, immutabilia esse neque frangi posse exponit. Versu 599 ad eam argumentationem transit, quae est de primordiorum partibus i. e. de 'minimis partibus', quibus quidquam minus esse nequeat. Summopere hi versus per quattuor saecula viros doctos vexaverunt: quorum sententias si omnes enarrare erroresque omnes refutare velim, diem consumam tempusque perdam. Lambini tamen et Lachmanni iudicium silentio praeteriri non oportet, quamvis verear ne, qui hoc loco semel admonitus ab illis non desciscat, re vera iurare videatur in magistri verba. Versus 628—634 (qui cum hac quaestione artissimo vinculo nexi sunt) ut scribuntur a Lachmanno et Bernaysio, sententiam exhibere apparet plane contrariam atque in vv. 602 sqq. Lucretius exposuit. Hic enim minimas partes per se (seorsum) non exstare posse, sed ibi haerere demonstravit (v. 608), unde nulla ratione avelli queant. Illic (628 sqq.) demonstratur naturam consuevisse res in minimas partes resolvere, ut ex eis res reparare valeat! Praeterea animadvertas, quam absurde poeta loquatur vv. 631—633: 'quae multis partibus constant, non possunt habere ('ea quae debet genitalis habere materies') varios conexus, pondera'! Nimirum, ut aliquid pondus habeat, id constare necesse est nullis partibus! Lucretius quin scripserit *si minimas* v. 628 et *quae nullis sunt partibus* aucta v. 631, dubitari nequit atque mutatione haec scripturae restituendae essent certissima, si coniciendo opus esset. Exstat enim in ll. mss. si, exstat nullis atque perridiculae istae scripturae e Lambini coniectura profectae sunt, cuius Lachmannus et Bernaysius nescio quo fato oppressi patrocinium susceperunt. Lachmanni autem argumentum quanti in hac quoque re aestimandum sit, infra exponam.

Haud ita probabilius Lachmannus rem egisse mihi videtur in corrigendis primis huius argumentationis versibus 599 sqq., ubi a librorum mss. scriptura:

tum porro quoniam est extremum quodque cacumen
corporis illius, quod nostri cernere sensus
iam nequeunt, id nimirum sine partibus extat —

ter recessit scribendo

tum porro quia nam est extremum quodque cacumen
corporis ullius, quod nostri cernere sensus
iam nequeunt? id nimirum sine partibus exstat —.

Haec autem coniectura, praeterquam quod falsa traditae scripturae interpretatione nititur, eo potissimum laborat, quod argumentationis rationes invertit. Lucretius enim cum id agat, ut minimum esse demonstret (cf. v. 615 'praeterea nisi erit minimum'), Lachmannus eum ita ratiocinantem facit: 'quoniam minimum est, ideo extremum quodque cacumen est'; id igitur pro certo ponitur, quod demonstrari debet: 'esse minimum in rebus'; id vero, quod demonstratione carere poterat: 'habere unumquodque corpus extremum quodque cacumen', argumentis firmatur. Eos, qui post Lachmannum his versibus explanandis operam dederunt, omnes Pollius recensuit Philol. 26 p. 304 sq. Suo iure codicum scripturas defenderunt rectissimeque explicaverunt praeter ceteros Goebelius Quaest. Lucret. p. 21 et Munro editionis alterius p. 385—87, quibus Pollius assentitur. Ego vero eo, ut statim, quod hos viros doctos nihilo minus fugisse contendo, pro certo proponam, non solum horum sententiam aptissime explicare, sed etiam meam ipsius coniecturam optime commendare mihi videor. Ante versum igitur 599 complures versus deesse contendo, quibus ita fere Lucretius locutus erat:

Desunt ante v. 599:	Argumenta:
Hanc quoque ob causam necesse est primodia solida atque aeterna esse, quod constant e partibus minimis, quae ab illis avelli nequeant. Primordia enim quamvis rerum, quae per se (seorsum) exstant, minimae sint et omnia in ea dissolvantur, tamen item e partibus	cf. Lucr. I, 609 'sunt igitur solida primordia simplicitate, quae minimis stipata cohaerent partibus arte'.
constare ipsae debent, cum sine partibus facultates genitalis materiae habere nequeant. Sed hae	cf. Lucr. I 631—634. Epicurus (Laert. Diog. X 57 sqq.): τό τ᾽ ἐλάχιστον τὸ ἐν τῇ αἰσθή-

primordiorum partes non ipsae quoque partes habent, sed re vera minimae sunt. Id ita tibi explicabo, ut inter se conferam corpus quod oculis videre possumus et corpus quod oculis cernere iam nequimus (et talem primordiorum naturam esse necesse est, quae non cuiuslibet magnitudinis esse et e partibus infinitis constare, sed numquam sensibus discerni possunt). In corpore autem, quod cernere possumus, discernendo tandem ad cacumen pervenimus, quo quid minus iam sensibus assequi nequeamus. Et hoc extremum quodque eius cacumen est. Hoc sensibus quidem minimum esse videtur, sed quoniam cerni potest, partes habere necessest et de corpore suo divelli et divulsum per se exstare potest.

cει e. q. s. ταύτῃ τῇ ἀναλογίᾳ νομιστέον καὶ τὸ ἐν τῇ ἀτόμῳ ἐλάχιστον κεχρῆσθαι.

Lucr. II, 496 sqq.: 'quare non est ut credere possis esse infinitis distantia semina formis, ne quaedam cogas inmani maximitate esse, supra quod iam docui non posse probari.'

Epic. l. s. s. 55: ἀλλὰ μὴν οὐδὲ δεῖ νομίζειν πᾶν μέγεθος ἐν ταῖς ἀτόμοις ὑπάρχειν, ἵνα μὴ τὰ φαινόμενα ἀντιμαρτυρῇ.

Lucr. I, 600: 'corporis illius quod nostri cernere sensus iam nequeunt.'

Epic. Laert. Diog. X, 56: ἀφῖχθαι δὲ μέλλει καὶ πρὸς ἡμᾶς ὁρατὴ ἄτομος.

Lucr. I, 749: 'cum videamus id extremum cuiusque cacumen esse quod ad sensus nostros minimum esse videtur, conicere ut possis ex hoc quae cernere non quis extremum quod habent minimum consistere (vere).'

Tum porro quoniam est extremum quodque cacumen
corporis illius, quod nostri cernere sensus
iam nequeunt, id nimirum sine partibus extat
et minima constat natura, nec fuit umquam
per se secretum neque post hac esse valebit,
alterius quoniamst ipsum pars, primaque et una
inde aliae atque aliae similes ex ordine partes
agmine condenso naturam corporis explent.

Ac primum quidem animadvertendum est, hanc versuum 599 sqq. interpretationem, quam eis quae excidisse contendo adumbravi, haud ita diversam esse ab ea, quam illi viri docti, inprimis Munro, proposuerunt. E quorum sententia in his versibus comparatio latet extremorum cacuminum corporis, quod cernere

possimus, corporisque, quod cernere nequeamus, quod ita aptissime illustrare licet:

corpus quod cernimus	: corpus quod non cernimus (ἄτομος)	= extremum quod minimum esse videtur	: extremum quod vere minimum est.

Sed iam hoc gravissimum inter me et hos viros doctissimos discrimen intercedit, quod illi opinari videntur (excepto enim Munrone hanc difficultatem ne verbo quidem tetigerunt) priorem huius comparationis partem quodam modo subaudiri posse; atque, si Munroni fidem habemus, suo iure Lucretius in medias res insiliendo ampliore huius rei explicatione se supersedere posse existimavit: 'Epicurus in his intricate prose might have dwelt on this more fully than Lucr. could do in his verse: the poet therefore seems tacitly to assume it and to pass in medias res; and he was right in so doing'. Id quod ego concedi posse certo nego. Lucretio si quid crimini dari potest, hoc est, quod verbosius fusiusque disputat. At eundemne illi in quaestione tam parum perspicua opinantur tanto brevitatis studio agitatum esse, ut comparationis partem alteram plane omitteret, atque tam obscure locutum, ut per complura saecula viri doctissimi comparatione eum uti omnino ignorarent? Sed ne haec quaestio tantum ad sensum quendam, quid credi possit quid nequeat, solum revocari videatur, argumentorum aciem instructam educo.

Ipsa prima versuum 599 verba partim flagitant priorem comparationis partem, partim eis, quae deesse contendo, optime illustrantur. Ita *iam* particula in verbis *quod nostri cernere sensus iam nequeunt* intellegi vix potest, nisi antea poeta locutus sit de corpore, quod sensus cernere queant; cf. IV, 199 sqq.: '*praeterea si quae penitus corpuscula rerum ex altoque — mittuntur — haec cernuntur lapsa — diffundere sese*';

204: *quid quae sunt igitur iam prima fronte locata,*

et versus II, 313 sqq.:

qua propter, ubi ipsa
cernere iam nequeas, motus quoque surpere debent;
praesertim cum, quae possimus cernere, celent
saepe tamen motus.

Item verba *id nimirum sine partibus extat*, inprimis *nimirum* illud, respicere videntur ad talia, quae poeta de cacumine exposuit, quod partes habeat. Ut autem leviora mittam, flagitatur et postulatur ea pars, quam excidisse contendo, verbis *corporis*

illius q. n. c. s. i. n., quia ne verbo quidem Lucretius in huius universae argumentationis partibus certi alicuius corporis mentionem fecit, quod cernere nequeamus. Miris enim tergiversationibus utuntur, qui, cum certus locus, quo respici veri simile sit, non exstet, haec verba ad totam quae antecedit de primordiis disputationem referri posse dicant. Neque in horum numero est Lachmannus, qui *ullius* scripsit. Sed hoc non solum sententiam pervertit, cum non de quolibet corpore, sed de primordiis agi appareat e v. 608 sq., sed etiam per Lucretianam dicendi consuetudinem ferri nequit. Lucretium enim hoc pronomine (quod septuagies septies exstat in carmine Lucretiano) non uti nisi in enuntiatis negativis, excepto uno loco III, 640, post Bouterwekium verissime Pollius contendit. Huic loco si alterum coniectura addamus, omnem probabilitatem excedamus, cum praesertim pronomen indefinitum huic versui non magis conveniat, quam si dicam 'quoniam ullus homo animam habet, immortalis est'. Bouterwekii inventum 'corporis (sic) cuiusvis' (de cod. Vict. p. 16) omni probabilitate caret; neque exstat exemplum *s* finalis elisae in pede primo certum nisi l. I v. 978.

Epicurus in epistula, quam Laertius Diogenes nobis servavit, ad Herodotum data, qua doctrinae summam complectitur, hanc de minimis primordiorum partibus quaestionem ita exponit, ut de ea versuum Lucretianorum interpretatione, quam defendimus, dubitari nequeat. Epicurus igitur, exposuit (Laert. Diog. X, 57) corpus, quod μεταβάϲειϲ ἔχει i. e. transitus et extentionem habet, etiamsi immanis magnitudinis sit, tamen extrema cacumina finita habere et internoscenda (ἄκρον τ' ἔχοντεϲ τὸ ὑποπεπεραϲμένον διαληπτόν), ergo non infinitum esse, sic pergit (58): τό τ' ἐλάχιϲτον τὸ ἐν τῇ αἰϲθήϲει δεῖ κατανοεῖν ὅτι οὔτε τοιοῦτόν ἐϲτιν οἷον τὸ τὰϲ μεταβάϲειϲ ἔχον οὔτε πάντωϲ ἀνόμοιον, ἀλλ' ἔχον μέν τινα κοινότητα τῶν μεταβάντων, διάληψιν δὲ μερῶν οὐκ ἔχον· ἀλλ' ὅταν διὰ τὴν τῆϲ κοινότητοϲ προϲεμφέρειαν οἰηθῶμεν διαλήψεϲθαί τε αὐτοῦ, τὸ μὲν ἐπὶ τάδε, τὸ δ' ἐπ' ἐκεῖνα, τὸ ἴϲον ἡμῖν δεῖ προϲπίπτειν. ἑξῆϲ τε θεωροῦμεν ταῦτ' ἀπὸ τοῦ πρώτου καταρχόμενοι καὶ οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ οὔτε μέρεϲι μερῶν ἁπτόμενα, ἀλλ' ἐν τῇ ἰδιότητι τῇ ἑαυτῶν τὰ μεγέθη καταμετροῦντα, τὰ πλείω πλεῖον καὶ τὰ ἐλάττω ἔλαττον. ταύτῃ τῇ ἀναλογίᾳ νομιϲτέον καὶ τὸ ἐν τῇ ἀτόμῳ ἐλάχιϲτον κεχρῆϲθαι. (59) μικρότητι γὰρ ἐκεῖνο δῆλον ὡϲ διαφέρει τοῦ κατὰ τὴν αἴϲθηϲιν θεωρουμένου, ἀναλογίᾳ δὲ τῇ

αὐτῇ κέχρηται· ἐπείπερ καὶ ὅτι μέγεθος ἔχει ἡ ἄτομος κατὰ τὴν ἐνταῦθα ἀναλογίαν κατηγορήσαμεν, μικρόν τι μόνον, μακρὸν ἐκβάλλοντες. ἔτι τε τὰ ἐλάχιστα καὶ ἀμιγῆ πέρατα δεῖ νομίζειν τῶν μηκῶν, τὸ καταμέτρημα ἐξ αὐτῶν πρῶτον τοῖς μείζοσι καὶ ἐλάττοσι παρασκευάζοντα τῇ διὰ λόγου θεωρίᾳ ἐπὶ τῶν ἀοράτων. Huic doctrinae Epicureae parti respondere versus Lucretianos, in quibus interpretandis versamur, iam diu interpretes intellexerunt, sed quomodo existimare potuerint Lucretium omnia, quae verba ταύτῃ τῇ ἀναλογίᾳ antecedunt, et ea quidem ad reliqua intellegenda prorsus necessaria, omisisse et statim ad alteram comparationis partem festinasse, ego quidem vix intellego.

Alia argumenta ex ipso Lucretio petita accedunt. Lucretius libri primi versu 734 e. q. s., ut Empedoclis aliorumque doctrinam refellat, nonnulla, quae certo iam evicisse sibi videtur, paucis repetit. Verba (v. 742)

primum quod motus exempto rebus inani
constituunt

respondent versibus 335—345. 370—397, verba *et res mollis rarasque relinquont* (v. 743) e. q. s. respondent vv. 346—357, verba (v. 746) *deinde quod omnino finem non esse secandis corporibus faciunt* respondent vv. 551—564. 577—583. Iam pergit v. 748:

nec prorsum in rebus minimum consistere quicquam:
cum videamus id extremum cuiusque cacumen
esse quod ad sensus nostros minimum esse videtur,
conicere ut possis ex hoc, quae cernere non quis
extremum quod habent, minimum consistere [*vere*].

(Extremum vocabulum non exstat in ll. mss.; 'vere' malo scribere cum Winckelmanno, nec Munronis Polliique sententiam me assequi posse profiteor, qui Lachmanni *minimum consistere prorsum* e falsa versuum 599 sqq. interpretatione fluxisse contendant. Nam huius de minimis partibus primordiorum quaestionis summa certe eo redit, ut primordiorum partes re vera minimae sint, quibus minores esse nequeant. Et hoc loco verba *quod ad sensus nostros minimum esse videtur* ad illud, quod vere minimum sit, ducere mihi videntur.) His versibus eandem comparationem, quam istis versibus mutilam inesse contendo, quamvis paucis comprehensam, tamen habes plenam, perfectam, planam, perspicuam. Atque eiusdem comparationis, quam in hoc, ut ita dicam, doctrinae breviario tam dilucide exponit, Lucretium dimidiam partem ibi plane omisisse putabis, ubi primum hanc rem explicet?

Aliud argumentum ex ipsius Lucretii verbis petitum restat. Libri alterius versus 496 sqq.:

quare non est ut credere possis
esse infinitis distantia semina formis,
ne quaedam cogas inmani maximitate
esse, supra quod iam docui non posse probari:

non habere quo respiciant, Lachmannum non fugit. His enim verbis commotus in libro primo (628—634) Lambinum secutus poetam de nihili pondere docentem fecit. Munro (ad II, 499 adn. 2) cum nos relegat ad v. I, 615 sqq., tergiversatur, ne illam partem (qua poeta hoc se probasse dicit) non exstare concedat. Nam hoc loco *parvissima quaeque corpora* non primordia esse, sed corpora quaelibet manifestum est. Cum specie quadam veri revocare nos poterat ad v. I. 265 sqq., quibus cum alias res esse, quas cernere nequeamus, tum primordia exponitur. Sed illa libri alterius verba flagitant partem, qua primordia cuiusvis magnitudinis ferri non posse demonstretur. Nos igitur melius sic ratiocinabimur: quoniam his verbis poetam ad partem nobis non servatam respicere apparet, qua de primordiorum magnitudine egerit, atque etiam verba *corporis illius quod nostri cernere sensus iam nequeunt* item necesse est ad partem respicere, qua de primordiorum magnitudine egerit, haud improbabiliter coniciemus esse hanc unam eandemque partem, quam intercidisse iam in aperto est. Illi vero, quae desideretur, demonstrationi aptiorem locum non esse quam ante v. 599 Susemihlium quoque mihi iam concessurum esse spero, qui (Philol. 14, 559 sq.) miris ambagibus utitur, ut Lucretium ante v. 1014, ubi agitur de materiae copia infinita, illud quoque explicasse probabile reddat. Idem vero Susemihlius cum alibi (Philol. 23 p. 625) haec verba ponit: ‘und sogar die unsichtbarkeit dieser grundkörper vor kleinheit hat sich bereits 265—328 als nothwendigkeit ergeben’, non solum sibi non constat, sed haud dubie errat, cum illic non demonstretur necesse esse primordia non cerni, sed fieri posse ut exstent quamvis non cernantur.

Huic quoque coniecturae peropportune verba Epicurea succurrunt, cum in eiusdem epistulae parte, quae comparationem illam proxime antecedit, haec de primordiorum magnitudine verba legantur (55): ἀλλὰ μὴν οὐδὲ δεῖ νομίζειν πᾶν μέγεθος ἐν ταῖς ἀτόμοις ὑπάρχειν, ἵνα μὴ τὰ φαινόμενα ἀντιμαρτυρῇ. (56) πᾶν δὲ μέγεθος ὑπάρχον οὔτε χρήσιμόν ἐστι πρὸς τὰς τῶν

ποιοτήτων διαφοράς· ἀφῖχθαι δὲ μέλλει καὶ πρὸς ἡμᾶς ὁρατὴ ἄτομος.

De Bernaysii coniectura *tum porro quod iam est extremum q. c.* nihil dico, ne eis quae deesse existimem uti videar ad ea corrigenda quae, ut exstant, certe ferri possunt. Reisackero autem (Quaest. Lucr. p. 9 adn.) versus 615—627 atque 599—614 traicienti hoc unum concedo, summae esse offensioni, quod Lucretius v. 599 in mediam rem insilit ne verbo quidem, ut solet, lectore admonito iam ad novam argumentationis partem transiri; sed hanc quoque offensionem illud, quod ipse proposui, tollit.

Hanc igitur carminis Lucretiani partem neque nunc exstare neque unquam editam fuisse contendo. Idque eo probabilius fit, quod haec universa quae est de primordiorum soliditate argumentatio a Lucretio ipso ita, ut exstat in ll. mss., disposita esse nequit. Qua in re miro mihi ludibrio accidit, ut, qui primus mihi tradito argumentorum ordini suspitionem movisse videbar (Lachmannus enim antiquiorum traiectiones silentio non indignas habuit), primum meis similia apud Susemihlium invenirem (Philol. 23 p. 623), ab hoc ad Hermannum Sauppium (de cod. Vict. p. 13) et Guil. Christium (Qu. Lucr. p. 13), ab his ad Michahelum Marullum (cf. Munro p. 61), postremo, si dis placet ut Theodoro Bergkio, ad Valerium Probum [5]), priscum illum grammaticum notarum auctorem, relegarer. Atque quamvis argumenta, non nomina amplecti soleam, sententiam meam horum virorum con-

---

[5]) De hac Bergkii coniectura quamvis iam Sauppius (de cod. Vict. p. 11. 14) ita mihi iudicasse videretur, ut vix quidquam dubitationis relinqueretur (inprimis illud, quod iam ex Lachmanni silentio unus quisque certo concludere poterat, confirmavit: notarum codicis Victoriani, quibus Bergkii coniectura nititur, in Leidensibus ne vestigium quidem exstare): tamen Halmium consului, quid ex illarum notarum atramento ad hanc quaestionem diiudicandam elici posse censeret. Respondit ille: 'Diese Noten [ad II, 578—580. IV, 1065. V, 1115. VI, 35] sind in der (blassen) Tinte kaum von der Schrift des Schreibers zu unterscheiden, aber wiederholte Betrachtung hat mich doch dahin geführt, dass sie nicht von ihr herrühren. Die Note für die Umstellung [I, 551 sqq.] ist eine gänzlich verschiedene, aber lösbare; es heiszt nämlich *q̃r h⁰ sig'l* mit einem vorausgesetzten ⚹, also wohl quaeratur hoc signum. So steht gleichmäszig vor 'Denique si nullam finem' und vor 'Denique iam quoniam' etc. Die Tinte zeigt Verschiedenheit von der des Schreibers; ob das Zeichen von demselben herrührt, der die Noten zu II, 578. IV, 1065 etc. gemacht hat, lässt sich durchaus nicht bestimmen.'

sensu aliquantum confirmatam esse profiteor. Sed cum neque Lachmanni silentium neque Munronis recusationem (p. 61: 'All these transpositions are utterly wrong, though Candidus says of Marullus 'quem profecto, si ad amussim rem quamque examinabis, neutiquam (sic opinor) repudiaveris', cf. p. 10: 'I, 551—627, where Candidus makes some perverse transpositions of verses') pro argumentis aestimem, contra hos non habeo quod dicam. Illi vero, inprimis Sauppius et Susemihlius, cum inter se non plane consentiant, neque ego prorsus cum alterutro faciam, brevi eorum sententias recensebo. Rectissime quidem Sauppius, ut iam ante eum Christius, versuum illorum I, 742 sqq., quibus Lucretium nonnulla contra Empedoclem aliosque dicta repetere vidimus, rationem habet ad versuum 540 sqq. ordinem restituendum; sed eo certe modum excedit, quod tripertitae de primordiis argumentationis Lucretium ibi deinceps summam ducere existimat. Versus enim 742—745 *primum quod motus — et res mollis rarasque relinquont — nec tamen admiscent — inane* quin respiciant ad vv. 335—357, neque vero ad vv. 503 sqq. (inprimis vv. 565—576), dubitari nequit, cum et hic et illic agatur de inani, sine quo res neque moveri (335—345, cf. 742) neque molles raroque cum corpore esse possint (346—357, cf. 743 sq.). At versuum 565—576 summa non eo redit, ut res sine inani molles, sed ut sine soliditate durae et validae esse nequeant: illic enim (742 sqq., 335 sqq.) agitur de inani, hic de soliditate. Susemihlius vero nimis mihi necessitudinem urgere videtur, qua v. 551—564 et 577—583 cum reliquis argumentis, praeter cetera v. 540—550, coniungi contendit. Omnia quidem huius disputationis argumenta, illa quoque quae sunt de partibus minimis, unam persequuntur primordiorum soliditatem et aeternitatem (cf. 609. 627); sed ut duo argumenta illa (551—564; 577—583) inter se simillima a reliquis aliquantum recedere existimem, compluribus causis adducor. Versus 540—550 meram demonstrationem e contrario continent: primordia enim postquam aeterna esse poeta demonstravit versibus 528—539, iam pergit: si non aeterna essent, res ad nil redirent. Optime igitur aeterno nilum opponit; nam quod non aeternum est, plane esse desinit. In versibus vero 551—564, ubi agitur de frangendi fine, res non ad nil redeunt, sed in partes et partium particulas resolvuntur, ut Lucretio ad has partes rursus colligendas nimio spatio opus esse videatur. Neque versibus 577—583 corpora frangendo in nil resolvi dicuntur, sed

periculis i. e. frangendo temptari. Versu igitur 582 *manere* idem valet atque 'nullo periculo temptata manere' i. e. incolumia manere. Lucretius igitur, nisi fallor, hac utraque parte non solum v. 532 sq.:

nam neque conlidi sine inani posse videtur
quicquam nec frangi nec findi in bina secando

illustrat, sed spectat ad certam quandam mathematicam notionem 'frangendi et dividendi in infinitum' (τὴν εἰς ἄπειρον τομὴν Epic. l. s. s. 56), quam alias doctrinas philosophicas amplexas esse constat. Etiam versus 565—576 et 584—598 longius ab his duobus argumentis recedere negari nequit. Praeterea animadvertendum est, Epicurum in epistula illius argumenti de frangendo in infinitum petiti longe alio loco rationem habere atque primordiorum soliditatis. Prima enim illius doctrinae Epicureae breviarii pars plane viae ac rationi convenit, quam Lucretius in libri primi argumentationibus sequitur. Laert. Diog. X, 38: πρῶτον μὲν ὅτι οὐδὲν γίγνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος (Lucr. I, 149 sqq.); τὸ πᾶν ἐστι σώμα(τα καὶ κενόν[6]) (Lucr. 329—417); παρὰ δὲ ταῦτα οὐθὲν ἐπινοηθῆναι δύναται (Lucr. 418—482); τῶν σωμάτων τὰ μέν ἐστι συγκρίσεις, τὰ δ' ἐξ ὧν αἱ συγκρίσεις πεποίηνται· (Lucr. 483 sq.) ταῦτα δ' ἐστὶν ἄτομα καὶ ἀμετάβλητα (Lucr. 485 sqq.). Contra frangendi finem esse multo post demonstrat, ubi versatur in primordiorum magnitudine (56): ὥστ' οὐ μόνον τὴν εἰς ἄπειρον τομὴν ἐπὶ τοὔλαττον ἀναιρετέον, ἵνα μὴ πάντ' ἀσθενῆ ποιῶμεν e. q. s. Atque operae pretium est animadvertisse, in eadem epistulae parte minimarum partium doctrinam sequi, ut ab hac quoque parte veri simile fiat Lucretium utrumque argumentum, et de frangendi fine et de partibus minimis, seorsum collocaturum neque vero ceteris immixturum fuisse. Cum igitur Lucretius ipse v. 746 sqq. (cf. 844) utramque argumentationem seorsum in memoriam revocet, non solum haec coniectura confirmatur, sed illud eo magis suspectum fit, quod duae eiusdem argumentationis partes 551—564, 577—583 parte aliena seiunctae sunt. Versus enim 565—576 (et 584—598[7]), si modo Lucretius non temere eiusdem argumenti partes disposuisse existi-

---

[6]) Sic scribendum; sequitur τὰ μὲν γὰρ σώματα. Deinde (40) γὰρ illud ab Huebnero ex Ambrosii interpretatione additum tollendum et scribendum δὲ cum Gassendo: τὸ πᾶν ἐστι σώματα καὶ κενόν· τὰ μὲν γὰρ σώματα ὡς ἔστιν —— εἰ δὲ μὴ ἦν ὃ κενὸν καὶ χώραν e. q. s.

[7]) Epicurus l. s. s. 41: ἄτομα καὶ ἀμετάβλητα. Immutabilitatem

mandus est, aptius versibus 540—550 subiungi, vel versuum utriusque partis extremorum similitudo declarat:

548 *sunt igitur solida primordia simplicitate* cet.
574 *sunt igitur solida pollentia simplicitate* cet.

Sed hoc quoque loco haud contendere ausim, his partibus traiectis Lucretianam argumentationem integritati restitutam esse. Inprimis in hac argumentatione, ubi singula argumentorum genera rursus partes complures continent, admodum mihi lubricum esse videtur particulis copulativis confidenter uti ad argumentorum ordinem corrigendum. Hoc certe scio eam, quam Sauppius particularum seriem restituit, qua *porro* alteri (577—583. 551—564), *tum porro* tertio argumentorum generi exordio esse vult (599 sqq.), alienam esse a carmine Lucretiano. Lucretius enim particulis 'tum porro' non utitur, nisi ad argumenta inter se simillima coniungenda (cf. I, 298. 426. 520. II, 594. 672. 788. 886. IV, 829. V, 222. VI, 623), ut ab hac quoque parte ea, quae de prima comparationis parte ante v. 599 omissa proposui, confirmentur. Accedit quod, si modo illa deesse mihi conceditur, etiam hanc ob causam certi quidquam de Lucretii consilio conici nequit.

Haec habui, quibus illorum virorum sententias et confirmarem et corrigerem. Hoc quoque loco in eo mihi subsistendum esse videtnr ut, quae Lucretiana esse nequeant, aperiamus, sed ea absolvere nolimus, quae nunquam absoluta fuisse veri simillimum sit. Ceterum Lucretii consilio haud dubie magis satisfaciemus, quam Ciceroni contigit, ita has partes traicientes: 503—550; 565—576; 584—598; 577—583; 551—564, * * * *, 599 sqq.

---

cum aeternitate coniungendam esse, non cum individuitate, etiam ex his vv. apparet (I 670):

nam quodcumque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius quod fuit ante.

[Quae supersunt, propediem edentur in F. Ritschelii Actis societatis philologae Lipsiensis.]

Henricus Stuerenburg
de vita sua.

Natus sum a. 1847 d. 23 m. Iul. Hiltperthusae in finibus Meiningensibus patre Rudolfo, gymnasii Hiltperthusani rectore, matre Amalia e gente Hohnbaum. Et pater e. Carolus frater, philologus uterque, morte mihi erepti sunt praematura. Ab a. 1857 ad a. 1866 discipulus eram gymnasii Hiltperthusani, cuius praeceptores Doberenz, Reinhard, Rittweger, Heim bene de me meriti sunt. Vere a. 1866 Bonnam me contuli et per ter senos menses scholas audivi inprimis Ottonis Iahnii et Iacobi Bernaysii, praeter hos Sybelii, Schaeferi, Gildemeisteri, exercitationibusque archaeologicis ab Iahnio institutis interfui. Autumno a. 1867 Lipsiam adii ibique inprimis usus sum acerrima Friderici Ritschelii disciplina, cuius societatis philologae sodalis eram ord. per duos annos. Neque studia grammatica, quibus et ipsis haec academia Lipsiensis floret Georgii Curtii auspiciis, neglexi Curtiique societatis grammaticae sodalis eram per ter senos menses. Per idem tempus sodalis eram ord. seminarii regii philol., cui praeerant Ritschelius, Curtius, Klotzius, seminariique paedagogici Ecksteiniani. Praeterea scholas audivi Klotzii, Drobischii, Zarnckii.

Inde a m. Oct. a. 1869 Hiltperthusae in legionis LXXXXV cohorte V militiae officio functus sum, contigitque mihi, ut cum eadem divisionis XXII legione in Friderici Guilelmi exercitu ad bellum Gallicum proficiscerer pugnisque interessem Woerthensi atque Sedanensi, Lutetiae obsidioni, Genabi Aurelianorum Chateaudunique expugnationi aliisque proeliis compluribus. Cum iterum Genabum impugnaremus, d. 2 m. Dec. capite vulneratus sum; quo ex vulnere post sex menses recreatus cum denuo stipendia meruissem, mense demum Sept. a. 1871 dimissus sum. Quod in pugnis officio non defueram, cruce ornatus sum ferrea et in equitum crucis Saxonicae Ernestinae cl. II numerum receptus.

Berolini deinde studia intermissa recolui scholasque audivi Hauptii, Bonitzii, Mommseni atque his quae antecedunt quaestionibus Lucretianis absolutis et ab universitatis Lipsiensis philosophorum ordine probatis d. 10 m. Iul. a. 1872 apud eundem ordinem examine summorum in philosophia honorum obtinendorum causa perfunctus sum. Quae Lucretianae quaestiones cum a Ritschelio dignae haberentur, quae in Acta soc. phil. reciperentur, sed compluribus de causis ante hunc mensem imprimi non possent, factum est, ut nonnullae libri I partes his ipsis annis cum a Munrone in ed. tertia a. 1873 tum a Bockemuellero in ed. Lucr. a. 1874 similiter atque a me ipso iam annis 1868 et 1869 diiudicatae sint; id quod me quodam modo aegre ferre haud dissimulo, sed ut mea iam missa facerem fieri non potuit per leges philosophorum ordinis universitatis Lipsiensis.

Superest, ut addam me a m. Oct. a. 1872 in schola Lipsiensi Thomana magistri officiis fungi.

Scripsi Lipsiae m. Iun. a. 1874.
